DE PRÆCLARIS
MEDIOLANI
ÆDIFICIIS
Quæ Ænobarbi cladem antecesserunt
DISSERTATIO
CUM DUPLICI APPENDICE

Altera de Sculpturis ejusdem Urbis, in qua nonnulla usque hac inedita Monumenta proferuntur; Altera de Carcere Zebedeo, ubi nunc primum S. Alexandri Thebæi Martyris acta illustrantur

D. PETRO GRATIOLIO
BONONIENSI

Congregationis S. Paulli, vulgo Barnabitarum Cler. Reg.

AUCTORE.

Accessit Rythmus de Mediolano jam editus, ab eodem vero emendatus, & notis auctus.



MEDIOLANI, IN REGIA CURIA. MDCCXXXV.
SUPERIORUM PERMISSU.



NOBILISSIMO VIRO

D. D. HERCULI VICECOMITI

Saliceti Comiti, Castri Spini, & Pertinentiarum &c. Domino Burgi Rhaudii, Ex Sexaginta Decurionibus Civitatis Mediolani &c.

D. PETRUS GRATIOLIUS
Cong. S. Paulli vulgo Barnabitarum Cleric. Reg.

FELICITATEM.

Quanquam ea multa sunt, ex quibus istud de veteri Mediolano Opusculum, jure ad Te HERCULES VICECOMES, datum omnes intelligant, qui ad eam animadverterint, ex qua ipse progenitus es, stir-

ſtirpem aviti ſanguinis, ſub cujus olim dominatione hæc ipſa, de qua agere inſtituerem, Civitas extiterit florentiſſima; miſſo tamen ſplendore præclari ſanguinis, cujus certe tam multos non ſacris minus, quam profanis in rebus, multos, & pace, & bello partos honores, neque tibi, qui ſatis per te ipſum emicas, neque ceteris, apud quos nimium illuſtre eſt familiæ tuæ nomen, oporteat commemorari: non alia velim de cauſſa exiſtimes hanc publicam obſervantiæ in te meæ ſignificationem ad Te, quam propter Te ipſum, ac virtutum tuarum merita perhiberi. Nam & ſumma, quod rei caput eſt, mentis probitate vales, & ſuavi a natura ingenio donatus es, & ſingulari præſtas facilitate morum, & es eleganti in rebus judicio, & magna in egregias facultates propenſione teneris. De quibus cum te multi amant, tum ipſe eadem colis maxime, quæ ceterorum in te ſtudium, & tuam illam in optima ſtudia voluntatis inclinationem, fovere poſſint. Qua propter pulchrum habes apud te librorum de multiplici facultate delectum, ex quibus variam hauris Hiſtoriæ, atque eruditionis cognitionem; eas vero, quæ Nobilis Viri cultum, atque honeſtatem decent decoras artes tam probe tenes, ut earundem in alios magiſterium exercere merito poſſis. Sed illa etiam vehementius erga Te moveor, qua in Ordinem meum es animatus, voluntate propemodum

ſin-

ſingulari, quæ veteri conſanguinitate cum religioſiſſimo illo, & celeberrimo Congregationis noſtræ lumine Alexandro Saulio in te uſque tranſfuſa, credo equidem, ſummam illam ingeſſit, qua nos omnes benigne complecteris, benevolentiam, & in quam grati animi cauſſa, publicam hanc obſequii teſtificandi opportunitatem, quaſi mihi divinitus oblatam accepi. Certe enim nonnulla, quæ noſtra ſunt, non ſecus ac tua ſuſcipis, atque in ea diligentiſſime incumbis. In Nobilium vero illud Adoleſcentium Contubernium, quod Ordinis mei Viri in hac Urbe moderantur, tam amanter te geris, ut nullum majus ab alio quopiam deſiderent officium humanitatis. Eos ſiquidem egregiis artibus, quæ exercendo corpori pulcherrime inſtitutæ ſunt, continenter informas, propterea ut non levem, quam ſibi interdum experimento publico laudem comparaverunt, omnem tibi Adoleſcentes gratiſſimi, non minus quam eorum Curatores, ingenue acceptam referant, nomenque tuum, & eximiam benignitatem, in exteras etiam Urbes, quoties eorum multi in Patriam ſuam redeunt, tam honeſte divulgent. Ego vero quanta meipſum benevolentia proſequaris, quot in me propenſæ voluntatis teſtimonia præſtiteris, non dicam hoc loco; ſentio enim neque paucis ea poſſe complecti, neque ſi maxime poſſent, ea tibi ſatis grata contingerent,

rent, qui ita consuetudinem Amicorum officiis foveas, ut ne eos quidem profiteri æquo animo feras se tibi maxime devinctos esse magnitudine, & copia beneficiorum. Quando igitur tam liberali animo es, obsecundabo voluntati, atque illud tandem unum a bonis superis implorabo, ut Te scilicet tam fauste fortunent, quam præstantes animi tui dotes, & quam ardenter, tui caussa, gratissimæ voluntatis vota postulare merito videantur. Vale.

Dabam Mediolani III. Nonas Augusti Anno MDCCXXXV.

VIRIS ERUDITIS
D. PETRUS GRATIOLIUS
BONONIENSIS
CONG. S. PAULLI CLERICUS REGUL.

S. P. D.

M*Ediolanum a prifca ætate Infubriæ columen, & Civitatem ornamentis præftantiffimis celeberrimam, præclaris item Ædificiorum Molibus excelluiffe, quanquam ejus dignitate fatis admoneremur, ab Aufonii tamen illuftris Poëtæ carminibus luculentiffime teftatum accepimus, propterea ut nullum neque vetuftius, neque magnificentius de hac re monumentum defideremus. Verum illa quæ ceteroquin tam ampla, tam fublimia Structurarum Mediolanenfium opera extiterunt, aut fatis nimium refragantibus excitata, aut prorfus malis*

avibus consummata, & dedicata fuisse, fas est ingenue profiteamur, ut omnium ferme non tam rudera, & vestigia, temporis quidem, sed barbarorum maxime hominum injuria, sublata, ac pessumdata doleamus, quam multorum ea ipsa, in quibus fuere loca, & frustra conjectando investigemus, & nonnisi divinando identidem assequamur. Ego itaque in hac Urbe, quam semper maxime colui, & cujus excellentiam summopere admirabar, cum multos jam annos pro summa ejus Civium suavitate, tanquam in Patria versarer, veterumque ejus monumentorum indagationi, & priscæ rerum ejus notitiæ studio (quæ est hominum exterorum curiositas) quantum a ceteris occupationibus vacuum superesset temporis, universum jamdiu devovissem; in eo potissimum mancam, aut non satis accuratam tam eximiæ Urbis historiam esse cognovi, quod primævam structuræ ejus formam, & amplitudinem, Opera ejus ingentia, & celeberrima Ædificia spectaret, quocirca, cum in Scriptoribus immorarer, dolebam sæpe, & eorum castigatiores nimis parce, & liberiores nimis magnifice, & supra quam fides, ac probabilitas ferret, de Patriis Ædificiorum Molibus disseruisse.

Ac de hoc quidem immanem illum, ac deplorabilem earumdem lapsum criminari nos oportere, non utique diffitebar; verum & illud mirari

rari

rari crebro ſolebam, quod cum nonniſi ſubobſcura, nebuloſa, aut commentitia de illis apud nos memoria, famave percrebuiſſet, nemo ſolertem manum ſic in vetuſta illa rudera, ac veſtigia admoviſſet, ut inde, quæ eſt hiſtoriæ vis, ac potentia, exciſa jamdiu præclaræ Urbis monumenta reſurgerent, & qualia olim occurrerent admiranda Spectatorum oculis, talia Scriptorum beneſitio, quantum tamen per vetuſtatem liceret, Legentium mentibus exhiberentur.

Hunc ego immotum hucuſque lapidem, quem certe Mediolanenſes Eruditi Viri multo validius urgere inſtituiſſent, verſare aliquando conſtitui, non illis ut ullam deſidiæ, aut negligentiæ notam objicerem, neque ut in alienam, ut ajunt, meſſem, ullam mihi, extraneus Homo, dominationem arrogarem; ſed partim ut meo in celeberrimam Urbem obſequio ſatisfacerem, partim ut quæ de veteri ejus magnificentia, atque præſtantia, aſſequenda propoſueram, & privati quidem ſtudii cauſſa, diligentius inveſtigaveram, multorum in iſtud conſiliis impellentibus, & rem probantibus, cum Mediolanenſibus meis humaniſſimis, & cum diſertis item Hominibus communicarem. Probavit autem in primis nobiliſſimus Vir Marchio Alexander Theodorus Trivultius *genere non minus, quam eruditione, facilitate, & humanitate inter Mediolanen-*

lanenses Proceres præstantissimus ; non ultimus autem inter ceteros Philippus Argelatus *Concivis meus , qui cum egregiorum Operum editioni , & ornamento continenter incumbat , aliquid ratus (quod faxint Superi) huic opusculo inesse posse , unde litteraria eruditio augeretur ; & ejusdem promulgandi curam omnem suscepit , & in exquirendis rerum aliquot notitiis operam præstitit mihi non inutilem , ipsi , ut arbitror , non injucundam .*

Itaque in universa de veteribus Ædificiis Dissertatione , illud mibi primum ante oculos ponendum duxi , ut quæ vera essent , aut certe probabilia , ea tantum Legentibus subjicerentur , quæ improbabilia , & commentitia , exploderentur prorsus , & ablegarentur . Propterea cum in altissimo , quo Moles illæ obruebantur excutiendo pulvere laboravimus , tum maxime in crebris iis , unde earum scatebat historia , commentis , & fabulis rejiciendis , & a veritate secernendis , omnem operam collocavimus . Atque a Flamma *quidem , & a vetustis illis* Danielis , Leucippi , Flos Florum , *aliisque ejus notæ Chronicis , erit a nobis quam sæpissime dissentiendum , quibus etsi multarum rerum notitiam acceptam referimus , tot tamen nugas , tot assutas ubique lacinias tribuamus oportet , ut in eadem (absit verbo invidia) non limam modo , sed fal-*

cem

cem moveri, quam assequi contendimus, historiæ puritas postulaverit.

Illud etiam a nobis cavendum fuit, ne per incerta tempora, aut Ædificia, quam scribere aggrederemur narratio vagaretur: quocirca & certos nobis limites, qui universam Dissertationem, & rerum notitiam coërcerent, ad Ænobarbi videlicet cladem usque præfiximus, & ex Ædificiis præclara tantummodo illustranda suscepimus, & antiquiora. Neque enim nos latet, intra illud constitutum tempus, alia præterea, Christiana præsertim, ab Ambrosii Sanctissimi Præsulis ætate, & deinceps, cum ab illo, tum ab aliis Piissimis Rei Sacræ Moderatoribus, excitata Sacrarum Structurarum Opera, sive Urbem, sive affinia Urbi loca occupavisse, quæ tamen utpote inferiori ævo nata, quanquam aut Auctoris, aut usus sanctitate præstare videantur, Ædificii tamen elegantia, pulcbritudine, aut magnificentia, cujus potissimum in hoc opusculo rationem habere decrevimus, cum minime excellentia depræhenderemus, consulto prætermisimus; quanquam id non omnino: ubi enim Sacræ Ædes in Profanarum Molium sedem successerunt, de his quoque egimus, & quæ congerere monumenta opportunitas, & res ipsa postulabat, suis distincte in locis collocavimus.

Fuit equidem cum aliquibus interdum quæ-

stio

ſtio ſerenda, in quorum nonnullos, non offendendi, aut carpendi, ſed opiniones noſtras tuendi cauſſa pugnavimus; quod æqui, bonique facient cordati Viri, qui probe teneant ſummum in ipſis diſputationibus, inter diſertos Homines, animorum foveri conſenſum, qui ea ratione veritatem, aut conſequi, aut certe affectari ſciant, in cujus adeptionem vel diſceptando conſpirant univerſi.

Quædam pariter a re minime diſſita, & ex iis ipſis, de quibus agebamus nata, diſcuſſimus, & appoſuimus: quale illud, de origine Leonini verſus, de Mediolanenſis antiqui Præſulis in Urbem dominatione, de præſtantia Ædificiorum Romæ, ante Auguſti tempora, de præclaris molibus, & monumentis Romanorum, & aliarum Gentium extra Romam ante eundem Auguſtum, de dubii illius in Ambroſii Æde quondam jacentis Simulacri ſignificatione, de ritu coronationis Italiæ Regum ad eam, quæ nunc ſupereſt Columnam prope ſepta Ambroſiani Periſtyli, & alia quædam, in quæ Lectores offendent identidem, fuſius, preſſius, pro opportunitate deſcripta.

Sed ut Ædificiorum, cui ſtuduimus notitiæ, & apud Poſteros item memoriæ diligentius conſuleremus, non verbis modo, verum etiam delineationibus graphio inciſis, & formis expreſ-

ſis,

ſis, ſub oculos nonnulla poſuimus. Primo autem diligentem, & accuratam Veteris Mediolani tabulam manu noſtra deſcriptam inſculpendam ære tradidimus, cujus limites, & certos Ædium ſitus, ex iis veterum locorum, quas nobis Scriptorum, & monumentorum cognitio præbuerat animadverſionibus, metiti ſumus. Eum mœniorum ambitum, eas Ædes, ſacras, profanas, eam locorum diſpoſitionem ſervavimus, & appoſuimus, qualem prorſus, cum ab Ænobarbo deleta eſt, Urbem habuiſſe opinamur. Nulla quidem intra ſepta ejuſdem, viarum directio delineata, noluimus enim in incerta re cuiquam imponere: aliorum item vetuſtiorum Ædificiorum veſtigia appoſita, quæ certe Ænobarbi tempore disjecta jacuerant; verum id fecimus, & ut illorum certos ſitus deſſignaremus, & ut in Mediolano ſtante ſub Ænobarbo, idem quale ſub Romanis Imperatoribus fuerat, Mediolanum vetuſtius depræhenderetur. Icones pariter appingi curavimus ſingulorum, quotquot hoſtium, & tempeſtatum injuriam evaſerunt (quæ tamen pauciſſima ſunt) ex priſcis Ædifitiis veſtigiorum, quibus ea, & exteris communicari, & noſtratibus, ſi quando eadem rudera malo aliquo fato intercidiſſent, utcunque ſervari poſſent. Ad Diſſertationem iſta.

De gemina, quam adjecimus Appendice,

pri-

primum illud fas est profiteri; utramque nobis Ædificiorum, quam perfeceramus tractationi, affinem, & consentaneam esse visam. Sculpturæ enim illæ veteres, Statuæ nempe, Anaglypha, Aræ, Stylobates, & alia id genus singula, cum aut Ædificiorum ornamenta, aut in Ædificiis multo præclara priscarum rerum monumenta steterint, ea sane videbantur, quæ jam expletæ Dissertationi, nativo quodam jure subjicerentur. Ac multas quidem Comitum Archintorum *ad Euripum P. Novæ, nonnullas March.* Guidonis Mazentæ *instructæ præclaris monumentis Ædes, aliquot, vetusta disertorum Hominum MSS. præstiterunt, de quibus omnibus agentes, illarum certa, ubi existunt, aut extitere loca dessignavimus; quæ non ingrata Legentibus accidet fortasse cognitio; singularum autem formas, verbis primum, deinde ære incisas, & Iconibus elegantissime expressas apposuimus, in quo nobis solertem operam navavit Joseph Rivola in hac Urbe pingendi doctissimus, qui singulas ex lapidibus ipsis, ubi præsto fuerunt, Hominum, aut Numinum figuras delineavit, & cum iisdem contulit (Ædificiorum enim vestigia alia manu, neque hac imperita, depicta sunt) cujus profecto elegantiæ, atque solertiæ, alii incidendi æris periti Homines accuratissime responderunt. Illarum vero significationes, quod operæ pretium erat,*

asse-

assequi, & *explanare conati sumus*, *cujus rei caussa*, Alciati, *interdum*, Valerii, Cottæ, Cicereji *disertissimæ lucubrationes antehac ineditæ*, *usui fuerunt*, *quarum satis esset perspecta eruditio*, & *quarum aliquam partem in publicam lucem proferre*, *neque indignum tantis Viris*, *neque* Legentibus *ingratum fore opinabamur*. *Verum novas quoque illustrationes*, & *animadversiones ubique addidimus*, *unde nostram*, *quantum vires præstare possent* (*atque utinam multum præstitissent*) *in cognitionem antiquitatis facultatem experiremur*.

Zebedeus autem Carcer, *sui certe*, & *nostri pariter*, *qui ejus in vestigiis Domicilium sortiti sumus*, *caussa memorandus*, *quanquam non præstans*, *imo tetricum*, & *luctuosum priscæ Urbis Ædificium*, *nostram tamen grati animi significationem*, *atq; operam vindicavit*, *quam illi multo etiam libentius adhibuimus*, *quod ad D. Alexandri ex Thebæa Legione invictissimi Martyris ibidem olim detrusi*, *ac deinde Sacra Æde honestati*, *historiam illustrandam impelleret*. *Cui quidem*, *monumentorum aliquot veterum promulgatione*, *fieri satis posse cum arbitrarer*, *nonnulla de eo a Bergomatibus præsertim Viris*, *in quorum Urbe Martyrium consummavit*, *Amicorum opera consecutus cum essem*, *in altera hac Appendice Acta ejusdem Martyrii*

ex vetusto MS. Bergomensi Codice, de cujus fide, & antiquitate suo loco disseremus, promulgare constitui, ac Missam etiam antiquissimam de eodem Martyre ex alio illius Civitatis MS. desumptam adjeci. In quorum primum, notas aliquot subdidi, quæ historiam magis explanare, certum, qui cunctis hucusque fluctuavit, Thebæorum, sive Agaunensium Martyrum cædis annum figere, & alia quædam digna scitu, Actisque illis consentanea, & affinia, ubi opus esse censuimus, illustrare viderentur.

Postremo tandem illum de Mediolano Rythmum addidimus, Tomo II. Rerum Italicarum Parte II., a Clariss. Muratorio *jam promulgatum, quod exiguum licet, & corruptum Opusculum, tamen præstiti in hanc Urbem offitii merito, sed Auctoris potissimum antiquitate, benevolam sibi alicujus operam deposcebat, ut turpia, quæ in illud irrepserant menda expungerentur, ut divulsa quædam compingerentur, sed obscuræ præsertim, quæ frequentissimæ occurrebant significationes, luce aliqua donarentur. Quod moliri quidem, & movere conati sumus; utrùm vero perfecerimus, & consecuti simus, vestrum expectamus, Eruditi Viri, judicium. Vobis enim scribimus, Vobis hoc qualecunque Opusculum devovemus. Interea dum in illo versamini, labori nostro liberaliter indulgete, & quidquid ubique*

scri-

ſcripſimus, leve, inelegans, imperitum, quod multum pro noſtra imbecillitate eſſe non diffitemur, ad vos datum intelligite, ut pro ſingulari, quæ veſtra eſt, ſapientia, caſtigetis ipſi, & emendetis; quod tamen ſi aliquando agere inſtituatis, gratiſſimum erit, in hanc noſtram lucubrationem, animadverſiones veſtras, neque enim quidquam de veſtra humanitate diffidimus, nobiſcum communicari. Valete Eruditi Viri, & voſmet perpetuo Litterarum bono ſervate.

Dabam Mediol. Kal. Febr. MDCCXXXV.

Don Marius Maccabei Congregationis Cler. Regularium S. Pauli Præpositus Generalalis.

CUm Librum, cui titulus est = *De præclaris Mediolani Ædificiis, quæ Ænobarbi cladem antecesserunt &c.* à P. D. Petro Gratiolio Congregationis Nostræ Presbytero professo compositum, duo ejusdem Congregationis Nostræ eruditi Viri, quibus id commisimus accurata lectione, & gravi judicio recognoverint, & posse in lucem edi probaverint; Nos ut typis mandetur, quantum in Nobis est, facultatem facimus: In quorum fidem has fieri, Sigilloque Nostro muniri jussimus. Dat. Romæ in Collegio Nostro Sanctorum Blasii, & Caroli die 5. Junii 1734.

D. Marius Maccabei Præpositus Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

Don Valentinus Viani Cancellarius

JUbente Reverendissimo P. Fr. Sylvestro Martini, Generali in hac Provincia contra hæreticam pravitatem Inquisitore, perlegi Librum, inscriptum = *De præclaris Mediolani Ædificiis, quæ Ænobarbi cladem antecesserunt, cum duplici Appendice &c., Auctore D. Petro Gratiolio*, summaque voluptate perfusus sum, cum viderim egregio labore detersum, ab illustribus Urbis nostræ monumentis altum pulverem, quo ruinæ ipsæ obruebantur; exsolutam solida eruditione ignavam fabularum caliginem, quibus eadem conspersferant sequiorum temporum Scriptores; restitutum demum præclarioribus hujus Metropolis ornamentis antiquum splendorem, adeout Mediolanum vetus non tam e cineribus reviviscere, sed in novam veluti Juventam reflorere videatur. Id autem eximius hic Auctor tanta calami felicitate non minus quam temperantia peregit, ut nullum excidisse eidem verbum deprehenderim, quo vel castæ morum disciplinæ, vel Catholicæ Fidei candor violetur. Cum igitur Eruditorum omnium plausu excipiendum hoc Opus existimem, annui posse censeo, ut celeribus typis excusum in publicum prodeat. Me tamen &c.

Ex Ædibus Bibliothecæ Ambrosianæ pridie Kal. Augusti MDCCXXXIV.

Joseph Antonius Saxius, Sanctorum Ambrosii & Caroli Oblatus S. T. D. Collegio & Bibliothecæ Ambrosianæ Præfectus.

Die 14. Februarii 1735.

I M P R I M A T U R:

F. M. O. P. Inquisitor Generalis Mediolani.

Franciscus Curionus Archipresb. S. Eusebii pro Eminentiss. & Reverendiss. D. D. Card. ODESCALCO Archiepiscopo.

Caelius pro Excellentiss. Senatu.

MARIS

SERIES EORUM

De quibus agitur in universa Dissertatione.

ELEN-

ELENCHUS SCULPTURARUM,

Quæ in prima Appendice recenſentur, & quarum formæ, ſcripto, & æræ exprimuntur.

STatua M. Bruti ærea in Foro quondam erecta.

Statua, quam vulgus Herculis credidit, olim in Ambroſiana Baſilica, ex Alciati MS.

Fragmentum Statuæ Herculis in Ædibus Marchionis Mazantæ.

Hercules puer in tabula marmorea olim ad S. Victorem, deſumptus ex Cicereji MS.

Statua Hominis togati, vulgo *Homo lapideus*, ad viam Orientalem proſtans.

Statua Fœminæ Sacrificiis, in Propylæo Archintorum.

Imago Gladiatoris in tabula marmorea cum appoſita Inſcriptione in eodem Propylæo.

Tabula marmorea cum inſculptis annulis, & coronis in Hortis Archintorum.

Sacrificium Jovis in cippo undique inſculpto, in relato ſuperius Propylæo.

Statua Serapidis pectore tenus, ſervata in Ædibus Marchionis Mazentæ.

Lapis, humanum caput cranio mutilum, & agnum quendam repræſentans, ibidem.

Stylobates undique cœlatus, & Jovi dicatus ex MS. Innocentii ab Eccleſia.

Stylobates Mercurio ſacer cum ſue inſculpto, ex eodem MS

Sutor ad ſcabellum apud Archintos.

Succula lanata in lapide ad Forum Mercatorum.

Serpens æreus Ambroſianæ Baſilicæ.

Stylobates cum puero inverſam facem geſtante, in Hortis Archintorum.

Genius in tabula marmorea, prope eoſdem Hortos.

Magii ſe invicem dexteris complectentes, ibidem

BRE-

BREVIARIUM

Eorum, de quibus in altera Appendice differitur.

I.

DE exiſtentia, nomine, ac ſitu Carceris Zebedei.

I I.

Divus Alexander e Thebæa Legione Martyr in Zebedeum Carcerem detruſus. Ejuſdem Acta ex MS. Bergomenſi Codice nunc primum integra afferuntur, & notis illuſtratur. Vetuſtiſſima de eodem Miſſa in Tabulario Bergomenſis Cathedralis reperta promulgatur.

I I I.

Carcer Zebedeus in veterem Eccleſiam Sancti Alexandri migravit. Ejus Eccleſiæ antiquitas, & præſtantia.

AU-

A U S O N I I
DE VETERI MEDIOLANO
Ut in lapide ad Forum Mercatorium prostat

E P I G R A M M A.

ET Mediolani mira omnia; copia rerum
Innumeræ, cultæque domus, facunda Virorum
Ingenia; antiqui mores; tum duplice muro
Amplificata loci species, populique voluptas
Circus, & inclusi moles cuneata Theatri;
Templa, Palatinæque arces, opulensque moneta
Et Regio Herculei celebris sub honore lavacri,
Cunctaque marmoreis ornata Peristyla signis,
Mœniaque in valli formam circumdata limbo;
Omnia, quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt: nec juncta premit vicinia Romæ.

DE


42
40
A. Porta Romana
B. Pusterla S. Euphemiæ
C. Porta Ticinensis
D. Porta Vercellensis
E. Porta Jovis
F. Porta Comensis
G. Porta Nova
H. Pusterla S. Dionysij
I. Porta Orientalis
K. Pusterla Tonsa
L. Portæ dictæ Fossati
M. Arcus Romanus
N. Brolium
O. Fossa, quam appellabant Fossatum
1 Carcer, deinde Ecclesia S. Victoris
2 Cæmeter. Peregrini. dein. Eccles. S. Jo. ad Conch
3 Carcer Zebedæi, dein. Eccles. S. Alexandri
4 Amphitheatrum, Arena seu Arenaum



In Aedibus Archintorum Mediolani

DE PRÆCLARIS MEDIOLANI ÆDIFICIIS.

DISSERTATIO.

CAPUT PRIMUM.

Situs, atque ambitus priſcæ Urbis.

I. INſubres priſci; undecunque originem, & nominis appellationem duxerint ſive à Subre Tubalis filio, ſive à Subrio Oppido quondam celebri ac pervetuſto; primùm certè nullo ſepti murorum ambitu, nullis portarum obicibus clauſi, eam quæ Alpes, Ticinum, Adduam, ac Padum interjacet Plani-

tiem, diſſiti inter ſe, ac ſparſi per vicos, incoluerunt. Teſtis Polybius lib. 2. *Inſubreſque initio habitabant vicatim ſine muris.* Et Strabo lib. 5. *Inſubres etiamnum extant, quorum fuit Metropolis Mediolanum Pagus olim, nam per pagos habitabant ea tempeſtate Univerſi*. Sed quoniam nos de veteri ſtructura dicere ingredimur Urbis Mediolanenſium, qui ſemper Populi, fuere Inſubrum præclariſſimi, ea primum tempora ommiſſis antiquiſſimis, fas eſt in memoriam revocemus, quibus illa ſtrui, & quod ad rationem Urbis pertinet, muro aliquo cepta eſt circumſcribi. In qua quidem re tam ambigua, ac pervetuſta, ne hæſitem, Auctor mihi potiſſimum Livius ſit priſcæ hujus Urbis Conditores Belloveſo Duce aſſerendi Gallos, *qui per Taurinos, ſaltuſque Juliæ Alpis tranſcenderunt, fuſiſque acie Thuſcis, haud procul Ticino flumine, cum, in quo conſederant, agrum Inſubrium appellari audiſſent, cognomine Inſubribus pago Heduorum; ibi omen ſequentes loci, condidere Urbem, Mediolanum appellarunt*. De quo nomine etſi non ignorem, quid multi ſcripſerint de Medo ſcilicet, & Lano, egregiis Ducibus, unde illud coaluiſſe autumant, vel quod de ipſo Urbis ſitu inter amnes ſtatuto, argumentantur, unde Mediolanium corrupto nomine, quaſi *Medio-amnium* appellari cenſuerunt; eorum tamen opinionem prorſus non improbaverim, qui à Sue Mediolanata, nominis cauſſam ducere maluerunt. Nam ſi ex alba illa Sue, de qua Tiberinus Æneam alloquens apud Virgilium Ænei. VIII.

Littoreis, ingens inventa ſub illicibus ſus
Triginta capitum fœtus enixa jacebit
Alba ſolo recubans, albi circum ubera nati;
Hic locus Urbis erit, requies ea certa laborum,
Ex quo terdenis Urbem redeuntibus annis
Aſcanius clari condet cognominis Albam,

Albam, inquam, Urbem illam, quæ tamdiu Romam anteceſſit,

cessit, Prisci Troës nuncupaverunt; nil fortè prohibet quominus, ex inventa Sue lanigera simul, atque setosa Galli item, quam struere meditabantur Urbem, Mediolani appellatione distinxisse affirmemus. Quam etsi fabulosam esse inventionem non dubito, eorum tamen, qui ita sentiunt opinionem, facilè excusabo, Livianum illud confestim obtrudens, dari scilicet hanc veniam antiquitati, ut multa comminiscendo, primordia Urbium augustiora efficiat. Verum ut ut se res habeat, certè hanc fabulam utcumque vis, aut historiam multos tueri est in confesso. Alciatus Emblemate secundo sub nomine *Mediolanum* ita

Biturigis vervex, Heduis dat Sucula signum:
His populis Patriæ debita origo meæ.

Et ibidem inferius

Laniger huic signum sus est, animalque biforme
Acribus hinc setis, lanitio inde brevi.

Sed ante Alciatum, Claudianus *de nup. Honor.* Venerem describens hanc ipsam Urbem ingressam, eleganti illa circuitione usus est

Continuò sublimè volans, ad mœnia Gallis
Condita LANIGERÆ SUIS ostentantia pellem
Pervenit. Adventu Veneris spissata recedunt
Nubila, rarescunt puris Aquilonibus Alpes.

Sidoniusque Apollinaris *lib. 7. epist.* 17.

Rura paludicolæ temnis populosa Ravennæ,
Et quæ LANIGERO DE SUE nomen habent.

Quibus item Isidorus in originibus adstipulatur, quin Ambrosius ipse Mediolanensis Urbis tutelare Numen ab apro nomen derivat, qui *media parte lanatus in Urbis fundamentis fertur repertus.*

II. Eam verò, de qua disserimus, nominis notationem, veteres quoque Mediolanenses maximè probavisse, argumento esse potest, illa Suculæ vetustissima effigies ovino vellere, setisque immixtis vestita, quæ in secundo veteris Palatii fornice ad forum Mercatorium insculpta adhuc cernitur in lapide, quem non ad eam certè curvationem arcus, sed multò ante ad aliud quodpiam eo vetustius ædificium insculptum, aptatumque fuisse certissimis, ut ego quidem sentio, inditiis manifestum est, quod pariter Franciscus Cicerejus in Monumentorum ab Alciato prætermissorum lib. 2. monum. 3. affirmavit. Certè Scriptor ille Mediolanensis, Opusculi *de situ Civitatis Mediolani*, editus *Tom.* 1. *Rer. Ital. parte* 2., qui ut Clarissimus Muratorius tenet, Seculo IX., circiter, aut certè X. scripsit; omen illud inventæ suis tam certum sibi persuasit, ut quadam Romanorum consuetudine, cujus tamen penes ipsum stet fides, confirmatum nobis afferat ita scribens cap. 1. *Ad cujus rei inditium* (scilicet lanatæ suis) *mos invaluit, ut quoties ab ipsa, velut ex principali Urbium Metropoli* (Mediolano) *Romani Consules ad bella prodibant, vexilla eos semilanea præirent*. Sed ab his tandem quæ pro operis vestibulo, de Urbis origine, ac nomine dicta sunt ad illud, quod primo loco discutiendum de situ veteris Mediolani proposuimus, Lector benevole, properemus.

III. Ac de prisco quidem Urbis loco cùm agere instituerem, in magna Scriptorum Mediolanensium taciturnitate, bonos mihi ad indagandum animos fecerat Opusculum illud, de quo supra egimus, quod cum *de situ Civitatis Mediolani* inscribi vidissem, ut primum pervolventi mihi Italicarum Rerum Scriptores se obtulit, sperabam hercule non levi in eam, quam meditabar vetustatis indagationem, præsidio futurum. Sed me statim mea spes lusit, cum legendo perdidici vix de situ Urbis, seu potius de ea, in qua Urbs condita est, plaga Insubriæ amœna, ac fertili sermonem primo capite institui, ceteris verò per alia prorsus vagari narratio-

nem

nem, quæ Mediolanensi quidem Historiæ illustrandæ aliquam, mihi verò qui antiquiora ad Urbis constructionem spectantia perquirerem, nullam prorsus notitiam afferebant. Quocirca, ne ut me, alios item ludat imposterum, mutari jam libro titulum desiderarem, illi certè amanuensium imperitia inditum, qui cum primi capitis Inscriptionem legissent de *Situ Civitatis*, eandem imperitè universi operis esse crediderunt.

IV. Unus tamen omnium, quos vidi, Jo. Antonius Castilionæus, nonnulla in rem nostram sibi visus est afferere potuisse *in Florilegio fasc.* 5. ita differens: *Illud nos ex vetustissimis Annalibus M. S. exploratum habemus has Insubrum sedes* (vetustam Urbem) *PRIMO SITAS fuisse ad margines aquarum ex Ticino, Athesi, & Olona fluminibus in hanc Basilicæ Vincentianæ conterminam, quæ Solem Orientem spectat planitiem derivatarum, atque adeò ad Portæ Ticinensis Templo nostro conterminam Regionem, ad quam utpote humiliorem, & decliviorem, majorem aquarum vim sine dubio, confluere necesse erat.* Et post nonnulla, quæ ex Bonaventura Germano suo in confirmationem affert: *Non hinc igitur malè nos conjicimus primas Insubrum sedes fuisse, non longè à sacris nostris Ædibus* (Vincentianis) *collocatas. Accedit huc illa altera conjectura D. Barnabam ad Ticinensem Portam primitus pervenisse, & ad Eustorgianum fontem aliquandiu commoratum, Christo plurimos aquisivisse aquis cælestis Lavacri vitalibus expiatos, non aliam ob caussam, quam quod in hac Agri Mediolanensis parte PRIMUM CONDITA fuerat Civitas, in eaque frequentiores conventus hominum habebantur. Eandem putamus ob caussam per Ticinensem Portam in Urbem ingredi solere Pontifices novos, indeque solemni pompa progredi ad sacros honores infulæ capescendos, quasi PER ANTIQUIOREM URBIS NOSTRÆ PARTEM, & reliquis ob jacta inibi primo Catholicæ Fidei semina, sanctiorem. Quid quod; adhuc hæc Urbis nostræ pars nomen CITTADELLÆ RETINET, quòd parvam Civitatem sonat, ut sciamus hoc Urbi nostræ nomen initio*

fuisse,

fuisse, (rem in Mediolánensi Historia prorsus peregrinam) *antequam adveniente frequentia Mediolanum meruit appellari*.

V. Hæc verò, quanquam ego accipiam bono animo dicta ad ornamentum Vincentianæ Basilicæ, quam illustrandam susceperat Castilionæus, affirmabo tamen præstantem ceteroquin Virum suæ nimium Ecclesiæ indulsisse, quæ sibi fortassis minus quàm voluisset honesta videbatur, nisi ad eandem, ejusve affinem regionem, celeberrima quæque Mediolanensis Urbis, amplificandi, ornandique caussa pertraheret. Quocirca præter ea, quæ supra retulimus, & Arenam, & Circum, & Herculeas Thermas, & vetus Palatium, ubi nunc S. Georgii Ædes, tanquam illi affinia, & quasi ad eam antiquitus pertinentia recensuit, quin Trajani Palatium propter illas, quas suo loco rejiciemus conjecturas, contiguum eidem fecit, & Crucis primum à D. Barnaba, ut traditio fert, Mediolani erectæ, locum à Dyonisiana distractum suæ illi Vincentianæ Ædi vindicare conatus est; quam verè non hìc disputaverim.

VI. Certè quod ad rem nostram attinet, ea mihi cum historica fide pugnare videntur, quæ supra adduximus. Ferant enim quantumvis Annales illi M. S. (quos utinam nobis, eorumque Scriptores prodidisset) ad omnium derivationes sitam primævam Urbem, non video tamen ad Vincentianos potius, quàm ad alios, qui alias præsentis Urbis plagas irrigant fontes, eam fuisse statuendam. Neque celebris ille D. Barnabæ fons (eum enim huic Apostolo adscribamus, quandoquidem Ecclesiæ Mediolanensi nihil per nos honoris detractum iverit) negotium facessit; quin favet magis. Divum enim Barnabam ibidem sacra peragere solitum fuisse ferunt, ut infra constabit sequenti capite, cùm ut Urbe abstineret, quum ingredi sine cultu impiorum Numinum nemini licebat, tum ut remotius à frequentia populi, ac tutius ab hostium Christiani nominis metu, divinis rebus vacaret; quocirca si tempore ipsius Barnabæ in ea regione, vulgo

Cit-

Cittadella, Urbs ſita fuiſſet, nimium ipſe, & contra quam res poſtulabat, proximius attigiſſet Urbem, cujus in limine fons adfuiſſet, non tam certè invius, quàm ad Chriſtianos ritus tutius exercendos requirebatur. Dicamus igitur & fontem à Porta Urbis paullo remotiorem, & Urbem ea tempeſtate non in Vincentiana regione ſtatutam. Mos autem per Ticinenſem Portam Epiſcopos introëundi multò recentior eſt, quàm ut evincat intentum. Antiquis enim Epiſcopis prorſus inconſtans fuit, per quam Urbis Portam ingrederentur. *Angelbertus* ex Codice quodam M. S. Epiſcoporum Mediolanenſium apud Puricellum. *Mon. Ambr. n.* 43. *natione Mediolanenſis, Anno Domini octingenteſimo vigeſimo quinto, &c. Hic per Portam Romanam intravit, Eccleſiam Beati Ambroſii petens, ut ordo requirit: poſtea equum aſcendens, ad Eccleſiam Cathedralem cum Confaloneriis circumquaque ſeceſſit*. Anſpertus item Anno 869. die 25. Junii ex eodem Codice Puricelliano *Mon. Amb. n.* 122. *per Portam Cumanam introitum faciens* deſcribitur. Et Anno 940. *Ardericus de Cottis, Mediolanenſis &c. Hic per Portam Novam intrans cum Proceſſione magna, in Sede collocatur octavo Septembris*. Ita idem Cathalogus apud eundem *Mon. Amb. n.* 163. Ac tandem, ut ad exitum pergamus, nomen illud vulgare Vincentianæ regionis *Cittadella*; mihi profecto tam recens eſt, ac prorſus Italum, neque quidquam, aut latinitatis, aut antiquitatis ſubolens, ut ei ſanè in hac de qua agimus tam vetuſta re nullam unquam fidem adhibuerim. Eo ſiquidem nomine appellari credam, quod etiam ante novam Mediolani dilatationem ſub Carolo V., frequentes, quæ ibi ſitæ erant, domus ad D. Euſtorgii uſque Baſilicam muro claudebantur, cujus rei teſtis in hac re certiſſimus Flamma eſt *in Chronic. extravag. quæ.* 133. ubi dimenſiones Urbis, qualis eo vivente extabat, diligenter perſecutus addit: *Murus includens Burgum S. Euſtorgii habet brachia* 3500., *& turres*. . . . . Eum murum conſtrui, & muniri cœptum Anno 1329. ibidem, & capite item 131. fuſius exponit.

VII.

VII. Quod si discussæ jam Castilionæi conjecturæ omnes corruant, quem igitur nos priscæ Urbis situm statuamus? Rem alia via conjiciendo, nisi fallimur, assequemur. Primo autem illud teneri velim; neminem Rei Mediolanensis Scriptorem docere nos Urbem hanc, etsi disjectam toties, aut solo æquatam, alia deinde in plaga positam surrexisse. Ac ne post Ænobarbicum quidem excidium illud tam solemne, ac barbarum loco ea cessit, quin inter rudera illustrior, atque amplior structa est. Adeò Mediolanenses vetustum illud ac patrium, in quo primùm nati, altique fuerant solum, pro sacro sibi, ac fatali quodammodo tenuerunt. Hinc amplificatum non semel Mediolanum legimus; translatum aliò non legimus. Quod pro certo cùm habeamus, quis unquam Castilionæo consentiat, quandoquidem ne post Ænobarbicam vastitatem quidem, tam multùm dilatato murorum ambitu Anno 1171., Vincentiana ea plaga mœnibus includebatur? Primus igitur Urbis situs multò interior fuit, atque in ea parte, quæ nunc umbilicus Civitatis est, si prisca Urbs, muris tantùm retractis, majorem in amplitudinem, servato semper veteri loco, protensa est. Ac Polybii quidem testimonium *lib.* 2. favere posse videtur; describens enim primum à Romanis contra Insubres adornatum bellum, Anno U. C. DXXXI. juxta Casauboni Cronologiam; Insubrum Principes refert ad extremum periculum adactos, ex Æde Minervæ aurea vexilla, quæ *Immobilia* vocabantur deprompsisse. Sic habet ille. *Omnibus igitur militaribus signis in unum coactis, aureis etiam illis, quæ Immobilia nuncupabant, ex Æde Minervæ promptis, ceteris quoque necessariis apparatibus probè instructis, cum exercitu, in quo erant hominum ad quinquaginta millia, feroces, minarumque pleni in conspectu hostium castra ponunt.* Ex Æde igitur Minervæ signa illi in hostes moverunt, quam Ædem si Urbis ambitu inclusam, vel tum crediderimus, erit illud satis probabile, cum ad commodiorem hujus Deæ, quam singulariter venerabantur cultum, tum ad tutiorem immobilium

lium

lium eorum ſignorum cuſtodiam, in quibus fortaſſis, ut Romani in Ancilibus, incolumitatem Urbis poſitam arbitrabantur: quæ præterea, ut ex auro conflata, ita pretioſiſſima, non in aperto, & hoſtium incurſibus obnoxio loco, imprudenter fuerant relinquenda. Porrò Minervæ Fanum non procul ab ea regione extitiſſe, ubi nunc majus Urbis noſtræ Templum, ad exterarum omnium gentium invidiam auguſtiſſimum ſurgit is unus ignorat, qui nunquam Alciatum legerit apertè canentem *Embl.* 2.

Culta Minerva fuit, nunc eſt ubi nomine Thecla
Mutato, Matris Virginis ante Domum.

Atque hoc; non in media ipſa, quam nos incolimus Urbe, poſitum videmus? Hinc igitur metiri aliquo modo liceat primævum illum antiquæ Civitatis ſitum, de quo, quantum conjectura aſſequi poſſumus, hucuſque diſputabamus.

VIII. De ambitu autem ejuſdem Urbis dicturi, moneamus primò oportet, pro varia temporum viciſſitudine, non unum ſemper, atque eundem fuiſſe. Ut enim Urbs pluries exciſa, reſtituta, atque amplificata; ita arctiorem modò, modò latiorem ambitum complexa eſt. Quocirca non ab re erit hoc loco, multiplices eas vices recenſere, quibus obnoxium fuiſſe Mediolanum ab origine ad hæc uſque tempora, Scriptores tradidere. In quibus, etſi falſa nonnulla eſſe credamus, omnia tamen hìc bona fide in Tabulam referimus, infra diligentius diſcutienda.

Variarum Urbis Mediolani Vicissitudinum, ut multi Scriptorum Mediolanensium ferunt,

TABULA.

Mediolanum primò conditum à Bellovese.
A Brenno solo æquatum, atque ab eodem excitatum.
Ab Annibale disjectum, vel à M. Clau. Marcello; & ab hoc restitutum.
C. c. 300 A Maximiano Herculeo amplificatum.
452 Ab Atila direptum, & incensum.
c. 454 A S. Eusebio Episcopo, quod ad Sacra pertinet, restauratum.
490 A Theodorico grave detrimentum passum.
494 A S. Laurentio Episcopo instauratum.
539 A Gothis iterum combustum. (*Nulla mentio ejusdem restaurationis.*)
569 Ab Alboino Longobardorum Rege percussum.
c. 880 Ab Ansperto Archiepiscopo, instauratis mœniis, munitum.
1071 Ab incendio vastatum.
1075 Ab igne è Cœlo lapso iterum disjectum.
1162 Ab Ænobarbo excisum.

IX. Sed jam ad intentum festinantes, falsa à veris secernere instituamus. Primò autem quod de Brenno scribunt, non satis probo eas potissimum ob rationes, quas Alciatus congessit *Rerum Patriæ lib.* 1. *pag.* 20., quem audire non te pigeat, Lector, ita differentem. *Mediolanum solo æquatum à Brenno enarrant; tum pœnitentia facti eum ductum, Urbem restituisse, quam mutato nomine appellaverit Albam, licèt apud Posteros non obtinuerit; Nam, & Trogus, & Ambrosius in Historia,*

ria, à Brenno conditum Mediolanum opinantur; quæ res mihi minimè verisimilis visa fuit, ut Insubri agro abstinuisse omnino Brennum credam, tum quòd communia erant Cisalpinorum Gallorum omnia consilia, tum etiam quòd ex antiquis Auctoribus nullus huic addicit sententiæ; nam potuit de his Gallis intellexisse Trogus, qui sub Belloveso Mediolanum condiderint, quorum Auctore post ducentos, & hoc ampliùs annos, unà cum Senonibus, Duce Brenno Roma sit capta. Quam opinionem & sequi Pausanias Græcus auctor videtur. Tradit hic in Atticis rebus, eorum Ducem fuisse Brennum, qui circa Padum habitant. Qua in re etiam T. Livius anceps rem proponit: nihil explorati se habere confitetur. Omnino erant in Italia per id temporis innumeræ Gallorum copiæ; nam præter Insubres, inter Padum, & Alpes habitabant Laji, post Lebitii occupaverant sedes, & non longè à fluvii ripa Cœnomani; Tum inter Apenninum rursus, & Padum Ananes, post Boji, inde Eganes; postremo Adriatici maris incolæ Senones, fueruntque hi inter omnes, Gallos Urbis captæ argumento, maximæ auctoritatis. Videtur tamen, ut dixi, dubitare T. Livius, Senonumne sola fuerit illa victoria, an Isubribus, Bojis, ceterisque Cisalpinis Gallis adjuti, egregium captæ Romæ titulum adepti sint. Alciatus hucusque.

X. Quantum verò ad Annibalem, qui funditus evertisse Mediolanum, victis ad Placentiam Romanis, traditur à Galvaneo Flamma *fascic. flor. cap.* 21., & Bossio *in Chronic. sub Anno Mundi* 5011., propterea, ut hic quidem habet, *Mediolanensibus iratus, quòd contra se Romanis auxilia tulissent*; tam illud mihi falsum est, quàm legenti Polybium, & Plutarchum apertissimè constat, Insubres Annibalis partibus favisse, quem illi Romanorum Imperium detrectantes, legatione missa, ac pollicitatione auxiliorum ad transgrediendum Alpes sollicitaverunt, & Insubri licèt agro, à Romanis præmaturè occupato, quibus occultè licuit emolumentis, fovere semper, & ad pugnandum adversùs Romanos adjuvere. Lege Polybium *lib.* 1., & Plutarchum *in Annibale*.

XI. Nunc unum superest, ut de M. Claudio Marcello disputemus. Itaque hunc primò, atque iterum in deditionem Populi Romani Mediolanum redegisse, & Mediolanenses omnes Historici consentiunt, & his antiquiores Livius, Polybius, Plutarchus, quorum integra est fides apud omnes. An verò, aut ab Annibale disjectum, ut ii, quos retulimus, Scriptores sensere, aut à se ipso injuriam passum; Marcellus, Mediolanum instauraverit, aut amplificaverit, quemadmodum Bossius, Bugatus, & Corius voluere, nunc discutiendum. Quòd Annibalis vastitatem tangit, jam supra rejectum est. Sed neque ego facilè credam, Mediolani mœnia à Marcello tam grave detrimentum passa, iccirco, ut vel excitanda iterum, aut majorem in ambitum, protendenda essent. Sanè qui hanc victoriam Marcelli narrat Plutarchus nihil præterea quàm Mediolanum captum memorat, & *Polybius lib.* 12. id Cornelio adscribens, quod alii Marcello: *Cornelius Urbe, quæ & frumento, ex omni genere commeatus refertissima erat* (Mediolano scilicet) *potitus*. Et infra de nova Mediolani obsidione loquens illud ad summum scripsit. *Mediolanum profectus, Urbem per vim, in Populi Romani ditionem redegit*. Quæ cùm Urbem quidem captam, vel ad summum direptam innuant, non autem dirutam (quod si fuisset, non illi certè reticuissent) hinc novam mœnium structuram explodi mihi facilè persuadeo, eorumve à Marcello amplificationem. Nisi fortè munitione aliqua, Turribus puta, aut eo, de quo infra agemus *Arcu Romano* (si tamen adeò vetustus credi potest) auctam dici Urbem permittamus, non tamen ambitu murorum latius extensam. Præcipuè cùm ut Plutarchus, inquit, vel tum Marcello obsidente: *Gallicarum Urbium caput erat, aliasque omnes frequentia hominum excellebat*. Quæ illius si non maximam, justam certè amplitudinem quandam fuisse indicant. Cùm autem, ut mox constabit; post ejusdem amplificationem à Maximiano Herculeo peractam, vix adhuc supra mediocrem amplitudinem creverit, vel ea non tam frequens, & popu-

losa

losa Urbs fuerat Marcelli tempore, sed infrequens, & angusta, atque id contra Plutarchum; vel non eam certè Marcellus auxit, cui ego maximè addico opinioni.

XII. Quis autem ea tempestate certus esset Mediolani ambitus, qui mœniorum limites essent, nisi divinari velimus, prorsus incompertum fateamur. Tamen eam regionem, quam nunc S. Jo. ad Concham, dicimus; eamque, ubi Nobilissimi, & Eruditissimi Viri Theodori Trivultii præstantes Ædes assurgunt; extra muros fortè ea tempestate fuisse credo; cui suffragari videtur mos ille Veterum, sepeliendi extra Urbem homines; cui sanè usui primum eum addictum fuisse locum testatur vetus illius nomen; *Cœmeterium* enim *Peregrinorum* nuncupabatur; alterum verò, multæ ibidem cinerariæ ollæ repertæ, eidem ritui affigunt. Quarum unam fictilem ex argilla, non igne, sed Sole duratam, in eruendo ejus Domus solo repertam, & affabrè elaboratam, Clarissimus ille, & eruditionis amantissimus Vir, inter multa vetusta cimelia adhuc servat; cujus rei notitiam eidem referimus, qui cùm in nos eximia humanitate utatur, nobiscum communicavit; aliaque in hoc ipsum opus consilio, judicio, eruditione sua, amicissimè contulit. Ab ea autem deditione in Romanam potestatem ad tempora usque Maximiani Herculei, cum perpetua gavisam pace Civitatem intelligimus, immutata prorsus ejus mœnia facilè crediderimus.

XIII. At Maximianum quidem Herculeum Urbem nostram amplificavisse, pro certo tenendum est. Miror autem Alciatum Virum tam eruditum in hanc rem *Lib.* 3. *Rei Patriæ pag.* 173. ita scripsisse. *In eo quoque anceps feror* (de Maximiano loquitur) *quòd firmioribus mœniis muniisse, duplicique muro vallasse Urbem, aliqui Juniores scribunt. Mihi ex Antiquis hac de re nihil compertum est, ut id facilè affirmare ausim.* Profectò ex Antiquis satis compertum, quod Aurelius Victor *in Cæsaribb. de Diocl. & Maximian.* testatum reliquit. *Novis, cultisq; mœnibus Romana culmina, & ceteræ Urbes ornatæ, maximè Carthago,*

thago, *MEDIOLANUM*, *Nicomedia*. Atque huic item amplificationi allusisse mihi Ausonius videtur, qui Anno Christi 379. Consulatum gessit, septuaginta duos scilicet annos à Maximiani morte, in Epigrammate de Urbe Mediolani

. . . . tum duplice muro
Amplificata loci species:

quo significari etiam videtur, novum murorum ambitum à Maximiano adjectum fuisse, veteri tamen servato, qui Ausonio scribente, adhuc perseverabat. Quocirca minus arridet eorum Carminum interpretatio Puricelliana *Dis. Naz. cap. 64. n. 9.*

XIV. Sed Civitas ea tempestate, quo tandem limite circumscribebatur? Ut hunc quantum assequi possumus, describere diligentiùs, & cum veritate valeamus; primò tenendum est, ab hac Maximiani dilatatione, ad excidium usque Ænobarbicum, incensa licet, vastata, ac direpta non semel Urbe, ipsisque mœnibus debilitatis, aut confractis, eandem tamen ejus amplitudinem perseverasse. Argumento sunt illæ, quas D. Ambrosium extra mœnium septa ædificavisse accepimus, Divorum Basilicæ; Apostolorum potissimum, nunc D. Nazarii, quæ juxta Puricellum *in Dis. Naz. c.* 37. Anno C. 382., à Maximiani autem morte, non plus quàm annis 75., erecta est, atque alia SS. Gervasii, & Protasii, quæ nunc D. Ambrosii, circa eadem tempora constructa: quas item sub Ænobarbi obsidione, extra septum Urbis fuisse, legenti Morenarum Historiam est compertissimum. Quid quod; Porta item Romana Anno C. 1113. ibidem erat ubi à Maximiano sita. Ad Romanam enim Portam detentum fuisse in carcere S. Victorem, qui sub Maximiano ipso passus, (post amplificatam Urbem) ejus habet Historia in Breviario Ambrosiano. Eo autem Anno, quem retulimus, Romanam adhuc Portam ibidem patuisse colligo ex Landulpho à S. Paullo edito *Tom.* 5.

Rer.

Rer. Ital. Is itaque *cap.* 26. ſic habet *Groſſulanus à Hieroſolymis rediit, & prius poſt legem factam de eo ignitam intravit Mediolanum; ibique tunc AD LOCUM UBI SANCTUS VICTOR CARCERATUS FUIT, ſuos labores, ſuoſque theſauros Sacerdotibus, & Viris, quos ſibi putabat fideles, explicavit*, & paullò poſt. *Ipſius autem Groſſulani caterva, undique concurrens, ferendo, & inferendo vulnerationes, orbitationes, & multas occiſiones in equis, & in hominibus fortiter, & prudenter ipſum Groſſulanum per XV. dies in Turribus de Porta Romana ſervavit*. Hunc ipſum locum Puricellus *Diſs. Naz. cap.* 64. *num.* 21. egregiè in rem meam ſic expoſuit. *Sicut igitur teſte Landulpho, Groſſulanus in Portæ Romanæ Turribus ſervatus fuit; ſic etiam illic ſuos labores, ſuoſque theſauros aſſeclis ſuis explicaverat; ibidemque aliàs S. Victor carceri fuerat mancipatus*. Ex Beroldo idem colligitur propter ea, quæ non multò ab hinc ſubjiciemus. Beroldus autem juxta Puricell. *Diſs. Naz. cap.* 97. *nu.* 4. ſcribebat Anno 1123.

XV. Igitur ſi nos diligentiùs perſequi, ac circumſcribere eum ambitum Urbis valeamus, quem non multò ante Ænobarbicam vaſtationem habuiſſe comperimus; eam fortaſſis expoſuerimus mœniorum latitudinem, in quam à Maximiano protenſa eſt. Sed age jam feſtinemus.

XVI. Atque in hanc quidem indagationem præclaram mihi facem præfert Beroldus in Rubricis, quæ ad Triduanas Litanias Ambroſiano Ritu celeberrimas pertinent; item alius Codex antiquiſſimus Eccleſiæ S. Victoris ad Theatrum apud Puricellum *Diſs. Naz. cap.* 64., aliuſque item Metropolitanæ Baſilicæ apud eundem *eodem cap. nu.* 20. Ex quibus cùm ſingularum Portarum unde Clerus, aut extra mœnia ſupplicando prodibat, aut intra revertebat, ſitus colligatur, facilè item univerſæ Urbis ambitus attingi poteſt. Ego verò, non Rubricam ipſam longiſſimam afferre, ſed fidelem ex ea narrationem texere conſtitui, ſacri ejus itineris, variarumque ſtationum, unde is, quem inquirimus, priſcæ Urbis ambitus ſe tandem manifeſtet.

XVII.

XVII. Primo igitur Litaniarum die, è Basilica Majori Clerus, ac Populus recta procedebat ad Portam *Cumanam*, ibique Oratio *Mœstorum refugium Deus* canebatur. (Hæc ad singulas Portas; Quocirca cùm de ea mentio erit, ibidem nos in Portæ limine esse, intelligas Lector. Ea autem Oratio, potissimum à Deo Murorum, ac Portarum defensionem, custodiam, ac munitionem postulat, quocirca ad Portarum limites maximè spectat.) Eam tibi Orationem, cujus non ingratam fore notitiam spero, integram subdo. Hæc est, ex Libris Litaniarum = *Mœstorum refugium, Deus, tribulantium Consolator, clementiam tuam suppliciter exoramus, ut afflictis oppressione gentium auxilium tuæ defensionis impendens, eripere nos, & salvare digneris. Tribue quæsumus, fortitudinem fessis, laborantibus opem, solatium tristibus, adjutorium tribulatis. Circumda Civitatem hanc virtutis tuæ præsidio: & omnes in ea manentes immensæ pietatis tuæ defende juvamine. Pone in muris & Portis ejus Angelorum custodiam, salutis ancilia, munitionem omnium Sanctorum tuorum: Ut qui pro peccatis nostris justè affligimur, de sola misericordia tua confidentes, miserationis tuæ munere adjuvemur. Quatenus à pressura hac, quæ nos circumdedit* (ad Gothicum fortè excidium, hæc referuntur, cui Ritum Litaniarum primò Mediolani cœptum, nonnulli adscribunt) *erepti, liberis tibi mentibus gratias agentes servire possimus. Per Dominum nostrum &c.* Inde pergebatur ad S. Simplicianum, hinc retrogrediendo ad S. Carpophorum, postea ad S. Protasium in Campo deflectebatur. (Hanc Ædem fuisse, ubi nunc Columella eminet, ad Arcis aream, testatur Puricellus *Diss. Naz. cap. 64. n. 11.*) tum ad S. Victorem ad Ulmum, ubi nunc *Capucini* Viri Religiosissimi, inde ad S. Victorem ad Corpus, ad S. Martinum ad Corpus, ad S. Vincentium in Prato, dehinc ad S. Ambrosium, itidemque ad S. Vitalem, ad S. Valeriam, ad S. Naborem, quæ nunc S. Francisci, inde ad Portam (Vercellinam) pergebatur, atque ibidem Antiphona (internotat Beroldus *ad Portam Civitatis*,) & Oratio

tio

tio *Mæstorum refugium* recitabatur. Inde intra Urbem regressi, ad S. Victorem ad Theatrum, ac tandem ad Ecclesiam æstivam recedebant.

XVIII. Altera die à Majori Ecclesia similiter supplicatio exordiebatur, inde tendebat ad S. Fidelem, tum ad Portam (Novam scilicet), ibique post Antiphonam, Oratio *Mæstorum refugium*, Extra Portam, ad S. Dionysium; hinc reflectebat ad Concilia Sanctorum, nunc D. Babilæ, postea ad S. Stephanum ad Rotam (nempe Basilicam D. Stephani) tum ad S. Calimerium, inde ad S. Agathæ, & Apostolorum (videlicet S. Nazarii) Ædem. Demum post Antiphonam: *Domine si iratus fueris &c.* Oratio ad Portam Civitatis. (Hæc ex Beroldo. Codex autem Metropolitanus ita.) *Et ibi est Statio, & dicitur alta voce Dominus vobiscum. Oratio Mæstorum refugium &c. Postea Maziconici cum suis &c. prope Coopertum S. Victoris, sive post Traunam* (hoc est Absidem, vulgò Tribuna) *Ecclesiæ cantant similiter*. (Veterem Ecclesiam Sancti Victoris obversam Romanæ viæ nos ipsi vidimus, antequam ad Romanam ipsam viam, ejus facies recenter strueretur.) *Postea alius Clerus ultra versùs S. Joannem ad Concham, à parte dextera cantat similiter. Postea vadunt ipsam cantando, alternantibus duobus Choris usque ad S. Alexandrum.* Hucusque ille Codex apud Puricellum. Sed ex Beroldo ingressi Urbem ad S. Alexandrum, deinde ad S. Joannem ad Concham ibant, postremo ad Ecclesiam Majorem regrediebantur.

XIX. *Die tertio* (Beroldus) *omnia ut supra. De Ecclesia æstiva ad Sanctam Euphimiam, Antiphona prima &c. Oratio ad Portam Civitatis: Mæstorum refugium &c. Antiphona usque ad Sanctam Euphimiam.* Cui quidem Antiphonæ Codex ille alter S. Victoris ad Theatrum, hæc verba præmittit: *Foris Muros*. Hinc igitur procedebat agmen ad S. Nazarium in Campo, & ad S. Celsum, inde ad S. Eustorgium, tum ad S. Laurentium, & ad S. Xistum (hæc Laurentianæ cohæret) hinc ad S. Vitum, postea *Antiphona usque ad Portam* (Tici-

nensem) *Civitatis &c. Oratio ad Portam Civitatis*. Quam subeuntes, tendebant ad Sanctam Mariam ad Circum ; ad S. Quiricum, (hanc Ecclesiam suo tempore deletam asserit Puricellus ubi supra) ad S. Georgium, ad S. Sebastianum, ad Sanctam Mariam Bertrade, postremo ad Ecclesiam æstivam, ubi omnis supplicatio, & Litaniarum Ritus claudebatur. Hactenus ex Beroldo, & alio eo Codice. Non desunt alii, licèt non tam vetusti, fide tamen digni, Litaniarum Libri typis promulgati, qui eadem confirmare, & latiùs explicare possint, quæ narrabamus. Sed jam ex his tibi ambitum Urbis subjicio.

XX. Romana Porta ad Fanum D. Victoris, vulgò *San Vittorello*, egressum Urbis reserabat. (Hinc ordior tanquam è certo limite, qui sequenti Dissertatione, ubi de Portis distinctiùs agetur, luculentiùs constabit) Inde ad meridiem tendebat murus, versùs Sanctam Euphemiam, citerior tamen; atque hic patebat alius ab Urbe exitus; hinc ad viam Ticinensem flectebat, cis Viti Delubrum, atque ad eum locum, qui vulgò *Carrobbio* appellatur, ad murum circiter, ubi vitris clausa est imago illa B. Virginis, septem dolores totidem gladiis repræsentans, Porta sita erat; è qua ambitus mœnium, Circum tamen claudens, & Ambrosianam Basilicam excludens, cis Ecclesiam Sancti Petri ad Vineam (ibidem enim juxta meum à Basilica Petri clarissimum, *de Metrop. Mediol. pag.* 23., vel eo scribente, veterum murorum vestigia apparebant) ad Portam Vercellensem protendebatur, quæ non procul ab Ecclesia B. Virginis, quam ad Portam nuncupant, aliam versùs D. Jacobi Æ liculam, stabat. Tum septa Urbis per eam sequebantur plagam, quæ à proximo muro, D. Joannis *sub muro*, dicitur vel in præsens; atque inde reflectendo, viam, & Portam Cumanam aperiebant ad locum, vulgò *Ponte Vedro*, illic ubi columnæ Crux imminet. Dehinc inclinabant ad Portam usque Novam, tum ad D. Anastasiæ existentem; è qua ad Orientalem plagam respicere

per

per flexum incipientes, describebant circuitum, aliquanto tamen Conciliis Sanctorum, (videlicet D. Babila), satis autem D. Stephano interiorem, unde demum ad veteres Ecclesias S. Andreæ, & S. Michaëlis, quæ ad *murum ruptum* dicebantur (nunc excisæ sunt; extabant autem Puricello teste *Diss. Naz. cap. 64. num. 21.*, ubi nunc Canonicales Ædes Templi Majoris, quas *Hospitium* nuncupant) vergentes, Romanam, unde orsi sumus, Portam attingebant.

XXI. Ex his liquidò constat etiam post Maximianam dilatationem, & usque ad Ænobarbi tempora satis adhuc mediocrem Mediolani amplitudinem fuisse. Quapropter non video quo pacto Radevicus Frisingensis *lib. 1. cap. 33.* Mediolani Urbem describens, hoc referat. *Id adjiciendum videtur, quod Campi planitie undique conspicua, natura loci latissimè ambitus ejus super centena stadia circumvenitur, Muro circumdatur, &c.* Certè enim nisi plenis hìc buccis crepat, Friderici sui victoriam amplificaturus, quod mihi persuasum est; non video quî verum, id esse possit; Nam cùm stadium sit octava, circiter communis milliarii pars, centum stadia, duodecim milliaria cum dimidio excedunt, quam ambitus dimensionem, ne nunc quidem Mediolanum explet, quamquam ab Ænobarbo ad Carolum V. retracta mœnia bis fuerint; multò autem minùs illud probari potest, quod Galvaneus Flamma, in Chronico majori, imponere nobis contendit, ita argumentatus. *Ita si bene computata fuerint, invenitur ex grossitie muri, & distantia turrium, quod ista Civitas habuit plusquam XV. milliaria in circuitu.* Verum, Lector, ut quantum scripto exposuimus, oculis ipse manifestius attingas, eam vide, quam subjicimus Veteris Mediolani, cum ambitus, tum ceterarum nobilium Structurarum, diligentem, quantùm assequi potuimus, Iconographiam.

CAPUT II.

De Mœniis, Portisque vetustæ Urbis.

I. QUotquot, Res Patrias consignare literis, & paullò remotius quærere instituerunt, Mediolanenses Historici; ii equidem de veteri Murorum, Portarumque structura magnificè, & summa cum honestate scripserunt. Landulphus Senior *editus Tom.* 4. *Rer. Ital. lib.* 1. *cap.*.2., De Romanis differens, qui Mediolanum non incoluerunt modò, sed & præclarissimis ædificiis ornaverunt: *Ipsam*, addit, *amplificantes Civitatem, ultra quam Senones Galli ædificaverant*, (hæc Senonum constructio superiùs discussa) *qui & ipsi Romam* (credo legendum Romani) *præter Capitolium, quot dies in anno, tot turres densissimas opere grandi ædificaverunt, & compleverunt. Præterea super sex Civitatis Portas, domicilia altissima, & rotunda, ac anteportale altissimum, & triangulare opere decentissimo ædificantes, quæ hostibus barbaricis, quasi natura munita, introitum contenderent, agere sataguerunt.* Galvaneus autem Flamma *in Chronic. maj. M. S. cap.* 142., *& seq.* = *Inter alia, ut habetur in Chronica Leucippi, murum Urbi circumdedit* (de Marcello differit) *qui habuit in grossitie* 24. *pedes, qui faciunt* 30. *pedes istius temporis, cujus altitudo fuit* 74. *pedum, qui faciunt* 80. *pedes istius temporis. In circuitu muri erant* 365. *turres altæ, & rotundæ. Et dicit Chronica Datii: Romani Principes &c.* Hic refert eadem verba, quæ nos supra ex Landulpho: cujus Chronicon illud esse, quod Datio multi adscripsere, Clarifs. Muratorius, *in Præfat. ad eundem Tom.* 4. *Rer. Ital.*, egregiè disputavit. Idem quoque Flamma in alio opusculo, quod *Manipulum florum* inscripsit *cap.*22. ita fusiùs habet. *Mittentes Ducem Marcellum in Italiam*, (Romani) *præceperunt, ut Civitatis Mediolani, dirupta mœnia, in melius reformaret*; (de hoc superiùs actum.) *Qui veniens ad partes Me-*

dio-

diolani, *muros circumdedit rotundos*, *grossos in mensura* 24. *pedum magni hominis*, *fuit autem altus è terra pedes* 74. *In circuitu muri erant* 310. *turres* (nota hìc minorem numerum turrium) *altæ nimis*, *&* *rotundæ*, *&* *erant tam spissæ*, *quòd Custodes de turri ad turrim familiariter confabulabantur*. *In muro Civitatis fecit sex Portas*, *&* *super quamlibet Portam fecit unum Domicilium Imperiale altum*, *&* *rotundum*, *&* *ante quamlibet Portam*, *fabricavit opere decentissimo unam turrim triangularem*. *Inter Portam*, *&* *turrim erat distantia jactus balistæ*. *Ex utraque parte viæ*, *muri erant altissimi*; *&* *fuit tanta fortitudo istius Civitatis*, *quòd videbatur esse quædam Civitas*, *à natura communita*. Hunc sequutus Bossius, idem, licèt aliis verbis paullo elegantioribus, pronuntiavit *in Chronic.* sub tit. *Quarta ædific. Mediol.* = *Mediolanum firmissimo circumsepsit muro* (Marcellus) *latitudine pedum vigintiquatuor*, *altitudine quatuor*, *&* *sexaginta*, *interstructis muri ambitu creberrimis turribus*; *adeo ut facilè inter se vigiles colloquia fererent*, *quas cùm editissimas erigendas esse pro muri reliqui altitudine cerneret*, *rotundas fieri jussit*; *facilius eam formam pondus tantæ molis sustinere posse ratus*. *Portas in toto ambitu sex fecit*, *in singulis Prætoria construens*. *E conspectu in ipsarum Portarum munimentum*, *turres triangulares decentissimo opere*, *altissimis lateribus*, *à Portis ad teli jactum distantes erexit*.

II. Hæc illi de Mœniis, ac Portis generatim. Ex quibus, etsi multa commentitia esse non dubitem, magnam tamen Murorum, Portarumque præstantiam fuisse, certissimè colligendum. Certè Ænobarbi usque tempore, tam firma erant Mœnia, ac tam munita, ut Fridericus ipse, nulla vi disjici eadem posse, crederet. *Neque enim*, Radevicus Frisingensis, *lib.* 1. *cap.* 34., inquit, *turribus*, *arietibus*, *aliorumque generum machinis tantam Civitatem attentandam putabat*, *sed longa potius obsidione fatigatos ad deditionem cogi*, *vel si foras propter fiduciam multitudinis erupissent*, *prœlio superatum iri*. Verum nos de Muris primùm, deinde de Portis, distinctius agamus.

III.

III. Murorum igitur firmitas, in eorum mole, seu latitudine, & altitudine; quod erat Veteribus munimentum præcipuum, sita erat; sed in turribus potissimum interstructis. Muri autem dimensionibus, quas Flamma retulit, 30. scilicet, illis pedibus *in grossitie*, apertissimè contrait *Rythmus de Mediolano*, editus *Tom. 2. Rer. Ital. par. 2.*, quem nos in calce Operis, paullo emendatum dare constituimus; ex quo item apertum esse videtur, & quidem ex oculato teste, qualis is Auctor est, certè multum vetustus, (de quo suo loco disseremus:) murum, lapideum in ima; in superiori autem parte lateritium fuisse, quemadmodum hi versus indicant, quos ita nos emendatos, propter adducendas suo loco rationes, legimus.

Duodecim enim latitudo, mœnium est pedibus,
Immensumque deorsum est quadrata rupibus,
Perfectaque eriguntur sursum & fictilibus.

Quod turres spectat, nonnulla accidunt, de quibus digna inquisitio videatur.

IV. Primo autem de Auctore quæstio esse potest; sed hæc ex iis, quæ de Urbis amplificatione jam dicta sunt, videtur esse discussa. Certè, etsi à Marcello aliqua veterum murorum munimenta structa esse non inficiamur; præclariora tamen Maximiano in novorum mœnium constructione adscribamus oportet; ex superioribus enim, *novis* ille, *cultisque mœnibus*, Mediolanum amplificavisse statuimus.

V. De numero turrium si disputemus, ea quæ ab Historicis descripta initio sunt, tam inter se discrepant, ut nihil certi eruamus. Fuerunt Landulpho, totidem, quot dies in anno. Flammæ in Chronico 365., eidem *in Manipulo Florum* 310., Bossio, numero incertæ; nam eas *creberrimas* tantummodo appellavit. Certè mihi tam ingens numerus, prorsus est incredibilis: Demus enim sic fuisse dispositas, ut fe-

rere

rere invicem Custodes colloquia valerent; tamen in ambitu eo, quem supra circumscripsimus, non multùm amplo: vix sentio tot turres, quæ *opere grandi* structæ dicuntur, amplæ scilicet, & capaces, quomodo contineri possent, aliquo inter se intervallo discretæ. Sanè multò prudentius Scriptor Rythmi, de quo supra, rem indefinitè pronuntiavit inquiens: *Celsas habet opertasque turres in circuitu*. Propterea ille mihi probabilior videtur numerus, quem Acerbus Morena *Tom. 6. Rer. Ital. col.* 1105., excidium Ænobarbicum describens, ita expressit. *Remansit tamen ferè totus murus Civitatem circumdans, qui adeò bonus, & de magnis lapidibus confectus fuerat, & quasi CENTUM TURRIBUS decoratus, quod ut existimo, nunquam tam bonus fuit visus in Italia, præter forte Romanum, neque deinceps videbitur*. Certè hic numerus ut castigatior, ita probabilior; Nam etsi non ignorem, mœnia ipsa Urbis, & cum his certè turres, multa à Maximiano ad Ænobarbum, detrimenta passa esse; non credo tamen ea prorsus diruta; atque ita numerum turrium fuisse imminutum. Nam in murorum refectione, qui instaurati ab Ansperto potissimum Archiepiscopo leguntur, ex ejus Epitaphio in Basilica Ambrosiana, turribus potissimum, in quibus munimentum maximum, consulendum fuit, non modò ut aliquæ restaurarentur, sed ne ullæ potissimum delerentur.

VI. Quæ quidem turres, licèt *editissimæ* à Bossio afferantur, minùs tamen proceræ Radevico erant scribente: nam *lib.* 1. *cap.* 33. de Mediolano: *Turrium*, inquit, *proceritati, non tam ut aliæ Civitates studet*. Tu verò, prudens Lector, ad antiquiora tempora Bossium, ad posteriora Radevicum, refer; Sic utriusque fidem facilè conciliabis.

VII. Et quoniam de Ansperti Epitaphio sermo accidit, illud juvat referre, quod Scriptores quidam Mediolanenses tradidere: in potestatem scilicet Archiepiscoporum, murum Urbis fuisse, Carolo Magno, eundem Petro Archiepiscopo, primùm largiente, cujus Diploma concessionis recitat Catalogus


logus Episcoporum, *Successores S. Barnabæ* à Joanne de Deis conscriptus, & ab Eugenio Cataneo, Congregationis meæ, auctus, & promulgatus; ibi enim sic habetur. *Ei concedimus,* (Petro nempe) *& Successoribus ejus legitimè intrantibus, quidquid ad nostram jurisdictionem pertinere in Urbe Mediolani videtur, terras scilicet, atque omnem districtum, domos publicas, MURUMQUE IPSIUS URBIS &c.* Ego tamen, cum Papebrochio, *in Exeges. de Episc. Mediol.* præfixa *Tom. 7. Sanctorum mensis Maji*, illud Diploma non satis probo, quod & Doctiss. Pagio *sub Ann. 725. n. 2.* minus videtur legitimum. Certè, subscriptio ipsa, fidem rei, maximè infirmat: nam dicitur *Datum Dertonæ Kal. Maji Anno Incarnat. D. N. Jesu Christi DCCCXX. Indictione X.* Nemo autem hoc Anno, Carolum Magnum viventem facit; tenendum siquidem est cum Pagio supra laudato, eum Anno C. 814., supremum diem obiisse. Magis illud affirmari posse; fortè videbitur, ex Epitaphio, de quo supra agebamus; sic enim Posteris prodidit de Ansperto, qui Anno Incarn. D. 882. vitâ functus est.

Mœnia sollicitus commissæ reddidit Urbi
Diruta:

quod aliquam, in Urbem dominationem significare videtur. Nisi ex hoc ipso Carmine quis fortè dubitet; dicitur enim mœnia Urbi, non *subjectæ*, quod & facile metrum, & res ipsa ferebat, sed tantùm *commissæ* reddidisse. In Chronico etiam *Flos florum* sic habetur. *Isto tempore* (Anno circiter 947.), *& per longa tempora ante Archiepiscopus Mediolani erat Dominus temporalis, & spiritualis Civitatis Mediolani, & in circuitu per tria milliaria, & regebatur Civitas per Consules datos per Archiepiscopum, quibus ensem ipse dabat, cùm regere inciperet.* Certè in vetustæ, altissimæque Turris Majoris Ecclesiæ, quemadmodum à Flamma, & Azario didicimus, vertice, Pastoralis baculus erigebatur, *in signum*, ut hic quidem habet, *dominii*

Ar-

Turris, vetus murorum Urbis
munimentum, in Monasterio Maiori superstes



Archiepiscopi, scilicet in Civitatem; & ut Chronicon supra relatum expressius refert: *in signum quod Ecclesia Civitati dominabatur*. Revertamur modò unde digressi.

VIII. Cùm itaque de Turribus mœnium Dissertatio est, ad rem prorsus quadrat, nonnullis, quæ ad eas gesta invenimus, rem ipsam, de qua agimus, illustrare. Ac primum quando legimus ad Portam Romanam in carcerem detrusum S. Victorem; de Turribus fortè sermo est, in quarum aliqua ad Romanam Portam extante, tanquam in satis apto ad includendum, & custodiendum loco, detentus est. In Turri item ad Vercellinæ Portæ regionem pertinente, quæ inter septa Monasterii Majoris adhuc extat, & quam Puricellus *Diss. Naz. cap.* 23. *n.* 1. describit diligentissimè, eodem Auctore, mancipati carceribus fuere SS. Martyres Gervasius, Protasius, Nazarius, & Celsus; quin ex Monialium traditione, apud eundem; S. quoque Victor: posteaquam in Stabulo Circi delitescens captus fuit, & paullo post capite truncatus. Quantùm ad SS. Protasium, & Gervasium, pro se testimonium affert Galvanei Flammæ *Chron. Maj. cap.* 258. Quod si verum est, dicendum in Maximiani amplificatione, ibidem veterem aliquam mœniorum partem servatam esse, quippe ad proximum Circum, ac Theatrum claudendum pertineret, dilatato novis muris reliquo Urbis circuitu, & hic cum aliquo angulo muri veteris conjuncto. Verum hujus rei tota stet fides apud Flammam, & Puricellum. Nos, illud veterum murorum vestigium, quale extat in præsens, hoc loco delineatum, promulgare decrevimus.

IX. Certè Anno C. 1113. *in Turribus de Porta Romana* servatum à suis Grossulanum accepimus, ex superiori capite *num.* 14., & Anno 1117. rem satis miram, quæ ad quandam Turrim murorum Civitatis nostræ accidit, Rogerius apud Baronium, sub hoc Anno, de magno illo terræmotu agens, quo per quadraginta dies Italia concussa est; narrat his verbis. *Viri Mediolani Patritiæ dignitatis, dum de Republica tra-*

stantes sub una residerant Turri, auribus omnium vox foris insonuit unum ex illis nomine vocans, & festinato exire rogans. Quo tardante, persona quædam apparuit, quæ vocatum Virum, ut egrederetur prece obtinuit. Exeunte illo, Turris repentè cecidit, & omnes, qui ibidem erant casu miserabili oppressit. Turrim hanc ad mœnia Urbis pertinuisse, ex dicendis conjectare possumus. Quam verò ad regionem murorum spectaret, licèt ille non scripserit, fortè erui potest ex Landulpho Juniore *cap.* 31. Agit ille de terræmotu, & portentis quibusdam illius Anni; postea sequitur *Longobardorum autem Civitates, & earum Pontifices audita Legatione Jordani Archiepiscopi, & Consulum ejusdem Urbis, in statuta die convenerunt Mediolanum in Prato Sancto, quod dicitur Brolium* (lege : *in Prato scilicet, quod dicitur &c.* idque ob rationes, quas Doctiss. Saxius, in notis *Tom.* 5. *Rer. Ital.* ad eum locum), *ubi Archiepiscopus, & Coss., duo Theatra constituerunt. In uno Archiepiscopus cum Episcopis, & Abbatibus, & Ecclesiarum Prælatis stetit, & sedit. In altero Coss., cum juris, legum, & morum peritis.* Respondent hæc eidem Anno, de quo supra Rogerius, quin eidem tempori, seu illis 40. diebus, terræmotus; nam Landulphus infra *cap.* 35. Concilium illud, tempore terræmotus coactum asserit, narrans irritam sententiam, *quam Jordanus Archiepiscopus cum suis Consulibus in tempore terræmotus de suo Theatro divulgaverat.* Hic vides collectos Episcopos, & Consules; atque hi certè *Viri Patritiæ dignitatis.* Isti item ad *Pratum, scilicet Brolium* collecti. Infer eam Turrim, quæ tum corruit, & ad quam mira illa evocatio peracta, earum unam fuisse, quæ *Brolium* attingeret. Erat autem fortassis ad Tonsiæ, aut Romanæ Portæ regionem, quæ maximè attigisse *Brolium* videntur. *Brolium* autem, Orientem, versùs terminabatur ad Ecclesiam *Omnes Sancti*, nunc D. Babilæ, quæ ex Otthone Frisingensi *in capite Brolii juxta ipsum Brolium* erat, cùm ad eam Fridericus, obsidionis tempore, Anno C. 1159. habitavit. De muris hactenus.

X. De

X. De Portis dicturi, primo earum numerum statuamus. Septem Corius, & Bugatus enumerant; sed isti antiquissimis, recentiorem unam inserunt, unde numerus crevit. Sex fuisse vetustissimas, constantior opinio est, quam Alciatus *Rei Pat. Hist. pag.* 15. item sequitur. Atque hæ ex Idolis superimpositis appellabantur. Audiamus Flammam *in Manip. flor. cap.* 24. = *In singulis Civitatis Portis unum Idolum imposuerunt, secundùm quod Romani habebant in suis Portis*, (hoc commentitium nemo ignorat, qui Romanas Portas à proximis aut Urbibus, aut Provinciis, aut rebus ibidem gestis, dempta *Pandana*, quæ antiquiùs *Saturnia* dicebatur, nullam à Diis appellationem traxisse intelligit), *factæ sunt VI. Portæ*; (in *Chronico* tamen *Maj. cap.* 179. novem recenset, sed Portis, si video, tres ille *Pusterlas* adjicit; quemadmodum Auctor Rythmi memoratus, item scripserat de Mediolano: *Erga Murum pretiosas novem habet januas.*) *una quæ aspicit versùs Romam, quæ dicta est Porta Apollinis, quia ibi super Portam exterius posita fuit quædam magna Statua de marmore armis, & gemmis ornata, corona aurea coronata, in qua unus Dæmon habitabat, qui dictus est Deus Apollo, & loquebatur ille Dæmon per os Statuæ, sic quod Statua loqui videbatur &c.* pergit narrans ibidem sacrificia fieri, & Oracula postulari consuevisse; deinde. *Alia Porta, quæ aspicit versùs Ticinensem Urbem, sive Papiensem dicta est Porta Veneris, quia super illam Portam erat alia Statua ad similitudinem prioris Statuæ &c. Item in Porta, quæ aspicit versùs Vercellas erat Statua Martis, & sic in qualibet Porta erat una Statua.* Aliam tamen distributionem Idolorum super Portas affert idem *in Chronic.* = *Idolum*, inquit, *Solis positum fuit super Portam Apollinis* (idest Solis), *quæ nunc dicitur Porta Romana. Mercurii Idolum positum fuit super Portam Dei Mercurii, quæ nunc dicitur Porta Ticinensis. Veneris Idolum positum fuit super Portam Deæ Veneris, quæ nunc dicitur Porta Vercellina. Jovis Idolum positum fuit super Portam Dei Jovis, quæ nunc dicitur Porta Zobia: & ista Porta adhuc retinet nomen*

Idoli, quæ erroneè dicitur Zobia. Martis Idolum, & Saturni Idolum, & Lunæ Idolum, erant super alias tres Portas. Sed quomodo essent per Portas distributa, nulla certa scriptura invenitur. Hucusque Flamma. Corius tamen, singulis Portis singulare Numen affixit, qua autem fide non quæro, nec ideo ejus affero testimonium. Certè, quod ad Portam Ticinensem attinet, non aliud illi Numen, quam Martem consignare jubet vetus illa Inscriptio D. Protasii ad Fontem D. Barnabæ, quam Alciatus, & Fontana nobis, etsi aliqua ex parte mutilam, (utinam non supposititiam) servaverunt. Habet enim

Hunc fontem tibi dedicat, atque Deo super undis
Consecrat impositam famulus Protasius Aram,
Qua Ticina silex & MARTIA PORTA, Beate
Barnaba, te Ligures advectum nuper in oras
Audiit hortantem cætus, & ritè lavantem &c.

Sanè non ab alio, quàm à Marte Idolo *Martia Porta* nuncupabatur Protasio scribente, quem Anno salutis 347. Concilio Sardicensi in favorem Athanasii subscripsisse intelligimus. (Ex hoc ipso tempore, ego multùm dubito de Auctore hujus Epigrammatis, nam mihi multò quàm ea ferrent tempora, elegantiùs esse videtur.)

XI. Idola autem super singulas Portas statuta cùm essent, nemini ingressus in Urbem concedebatur, Simulachra eadem non venerato. Quocirca ob hanc caussam ferunt D. Barnabam ab ingressu Urbis temperavisse. Certè Flamma, *Manip. flor. cap.* 28. ita scribit. *Et quia tota Civitas erat plena Idolis, & in Portis Dæmones dabant responsa, & quicunque Civitatem ingrediebatur, Idolis genua flectere cogebatur, Beatus Barnabas extra Civitatem, parvum tugurium cum suis discipulis inhabitabat.*

XII. Eidem si fidem adhibemus *ibid. cap.* 29. B. Anathalon *Idola pro magna parte de Portis Civitatis, prostravit, & cap.*

32.

12. Idola in Urbis foribus adfuerunt, usque ad Castritianum Sanctissimum Mediolanensium Antistitem IV. Quod non improbavero, si Idola tamen extiterunt. Nam hic sub Nerva Mediolanensibus sacris præfectus; sub quo Imperatore, aliqua Christianis in lucem prodeundi potestas facta est. Atque hic, ut Sacras quasdam Ædes ritè dedicavisse perhibetur, Philippi videlicet, Portii, Faustique Basilicas, Christianique ritus multa publicè invexisse, eundem & Idola penitus omnia, è tam edito loco deturbasse, mihi facilè persuaserim.

XIII. Catellianus autem Cotta J.C. Mediolani, in antiquas Insubrum spectationes, & Monumenta, cujusdam mihi notitiæ Auctor est, quam prorsus ignoravissem, nisi illius manuscriptas animadversiones, unà cum Alciati Monumentis Patriis, mihi in eleganti volumine collectas, Eruditus, ac Nobilis Comes D. Donatus Silva, humanissimè ad legendum, atque utendum pro ista opportunitate commodavisset. Habet itaque in *Proœmio*, duas Mediolani Portas sub Maximiano, (credam in Urbis dilatatione) Herculeam unam, Jovianam alteram; hanc scilicet in Diocletiani, qui *Jovii* nomen assumpserat, illam in sui honorem, qui *Herculeus* dictus, appellatas fuisse. Ipsius verba prodere opportunum erit. *Mediolani occubuit* (Maximianus, qui quidem an hìc, an verò Massiliæ, ut communius obtinet; fato functus sit, ipse viderit,) *ubi ad Diocletiani æmulationem Thermas construxerat, quas ab ipso Herculeas cognominavit. Earum vestigia adhuc visuntur in Urbis ingressu sub ea parte, cui Portæ Ticinensis nomen est, ubi columnæ illæ sunt striatæ antiquam majestatem præseferentes, unde regio, & PORTA illa HERCULEA dicta fuit.* Et post recitatum Epigramma Ausonii de Urbe Mediolani adjungit. *Erexit & in Diocletiani Joviani memoriam in ea parte Urbis Portam, quæ adhuc arcis Portæ Jovis nomen refert.* Sanè, quod ad Ticinensem Portam, idem sensit Alciatus in eodem M.S. Codice, de quo supra: ad Monum. 102. sic affirmans. *Quo loco Laurentii fanum est, eo Templum Herculis quondam fuit cum*

Ther-

Thermis Herculeis, *sive à proximo Templo ita appellatis*, *sive à Porta*, *quæ HERCULEJA à Maximiano Imperatore quondam dicta*, *nunc Ticinensis est*. Hi mihi Eruditissimi Viri, tantæ auctoritatis sunt, ut vetustius aliud testimonium, quod ad hanc partem attinet, quærere negligam. Ut ut autem res sit certè deinceps, & Idolorum nomina à Portis abrogata sunt, & Herculea dici Ticinensis desiit, uno *Joviæ*, aut *Jovianæ*, à Jove si mavis, aut Diocletiano, nomine retento.

XIV. In Portis item Domicilia quædam *Imperialia*, seu *Prætoria* extitisse superiùs accepimus. Quorum nomine, quid illi, quos supra audivimus, Scriptores significaverint, mihi est penitus incompertum. Nam si fortè Imperatorum Ædes, ubi isti, cùm Mediolanum diverterent, commorabantur, per illud innuunt; nemo facile credet. Palatiorum enim magnificè, ob hoc ipsum alibi erectorum, certissima ad nos notitia pervenit; neque ea, quæ *supra portas* necessaria est loci angustia, ullum præbere potuisset, dignum Imperatore Domicilium. Flamma, id quidem de Maximiano *Chron. maj. cap.* 258. nobis tradit. *Super portam Sanctæ Mariæ ad Circulum idem Imperator Maximianus permaximum construxit Palatium*, *ubi de caussis judicabat &c.* Verum quis huic facilem aurem præbeat? Supra Portam, Palatium maximum? Pueros adeat; si tamen vel hi, nugis istis fidem adhibebunt. Sin fortè, *Prætorium* aliquod ibidem; locum scilicet unde Prætores jus dicerent, extitisse opinati sunt; quo pacto de Maximiano, mox à Flamma audiebamus: illud multò minus credi posse videtur. Romani enim, quos hujus Ædificii Auctores venditant, nusquam in Portis judicia exercuisse legimus. Fuit hic mos Orientalium, ac potissime Hebræorum, quod ita Hieronymus *in Zach.* 8. nobis testatur: *Ne cogerentur Agricolæ intrare Urbem*, *& aliquod subire dispendium*, *Judices in Portis residebant*, *ut tam urbanos*, *quàm rusticos*, *in exitu*, *& introitu Urbis audirent*. Cujus Judicii forma apparet in caussa Booz pro nuptiis Ruth. *Rhut* 4., & in emptione agri ab Abraamo, *Genes.* 23.

23. At Romani in Urbis meditulio Forum, & Basilicas ad exercenda, Dempstero teste, judicia habuerunt; propterea, cùm in subjectam Urbem, patrios mores invehere studerent, quod ubique facere contendebant; anne hìc in Portis judiciorum loca constituissent? Verùm quid plura? Mediolani item circa tempora Augusti in Foro caussæ agebantur. Svetonium audiamus *Lib. de cl. Rhetor.*, ita de C. Albutio Silo, narrantem. *Rursus in cognitione cædis Mediolani, apud Lucium Pisonem Proconsulem, defendens Reum, quum cohibente Lictore nimias laudantium voces, ita excanduisset, ut & deplorato Italiæ Statu, quasi iterum in formam provinciæ redigeretur: Marcum insuper Brutum, cujus Statua in conspectu erat, invocaret, legum, ac libertatis Auctorem, & vindicem; penè pœnas luit.* En ut proximo Bruti Statuæ loco, Reum Silus defenderet. Hanc autem Mediolani in Foro extitisse memoriæ consignavit Tristanus noster *Lib.* 1. *pag.* 13. pro se Plutarchum citans. In Foro igitur vel tum caussæ agebantur; non ad Portas, quemadmodum Flamma, superius, nulla fretus auctoritate affirmavit. Fortè hæc *Prætoria*, de quibus commentantur relati Scriptores, erant loca quædam supra Januas sita, ubi Duces, ad Portam custodiendam cum Militibus constituti, commorabantur; fuit enim *Prætor* etiam Romanis, militare officium, ac nomen.

XV. Singulæ item Portæ satis munitæ erant, ferreis vectibus, & bene custoditis clavibus, easque subeuntibus, quidam obices impendebant, in catharactarum modum aptati, suspensique, quibus hosti inopinato fortè irrumpenti, facilè aditus intercluderetur. Auctor Rythmi, de quo supra,

Erga murum pretiosas novem habet Januas,
Vinclis ferreis, & claves circumspectas naviter,
Ante quas catharactarum sistunt propugnacula.

XVI.

XVI. Sed jam Portæ, succedente tempore, ut numero auctæ, sic in tres Classes discretæ. Aliæ, *Portæ* appellabantur; erantque majores illæ, & antiquiores. Aliæ *Pusterlæ*; scilicet minores, & ut Anonymus Cassinensis in Otthonis Morenæ Historiam explicat, *arcanæ*, (vulgò falsæ) ad dexteram, & lævam Majoris statutæ. Aliæ *Portæ Fossati* nuncupabantur, quia videlicet ad fossam, paullò à mœnium ambitu remotiorem, aditum reserabant. Quod ad primam, ac alteram Classem attinet, expresfsè docuit Flamma *in Chron. extravag. qu.* 17. Et apud præfatum Morenam, tum ex Ambrosiano, tum ex Osiano Codice *Tom. 6. Rer. Ital.*, memoratur *Pusterla Sanctæ Euphemiæ, Pusterla per medium Sanctum Dionysium, Pusterla, quæ dicitur Porta, seu de Porta Tonsa*. Portam Fossati expresfsè nobis tradit idem Auctor *ibidem, ex Codice Osiano* his verbis. *Super Portam Fossati dum acriter Imperator inter hostes præliaretur, equus ejus ibi confoditur, & ipse aliquantulum vulneratur*: (Magna laus Mediolanensium.) *Tandem Mediolanenses intra Portam se recipiunt, & ipsorum quamplures in Ecclesiam Sancti Laurentii confugiunt, &c.* Cùm intra Portam se recepisse audis, de Porta Fossati intellige; non enim D. Laurentii Fanum, tum intus Urbem erat, ut ex supradictis liquet. Hic obiter adnoto sæpe Ecclesiam Sancti Ambrosii in Diplomatis, apud Puricellum, sitam vocari intra *Fossata*. Hæc autem fuisse credo, ubi nunc Fossa illa, per quam circa Urbem navigatur, vulgò *Navilio*. Nam Euripi illi, è quibus in hunc nostrum amnem navigabilem, undæ derivantur, posteriores sunt Ænobarbico excidio; ac Ticinensis quidem, ex Corio Anno 1177. cœptus est; ex Sigonio Anno 1179. ulterius deductus.

XVII. Singulis item Portis, Præfectos suos, ante excidium Ænobarbicum, seu, ut vocabant *Capitaneos*, Mediolanenses constituerunt. Flamma *in Chronic. Maj. cap.* 698., & 845. id docet, & *in Chronico extravaganti*, *qu.* 18. affert ineptos quosdam versus, in quibus familiæ ei muneri adlectæ, re-

recenseantur. Ne quæso aures tuas lædant, erudite Lector.

Ex senis portis sumptos Capitaneos Urbis
Novæ Cumæ, Ticinensis, Orientis, Romæ, Vercellis:
Turres, Badagios, Busti, Oriens, Carrogia, Crassos.

Certè Landulphus Jun. *cap.* 40., Capitaneos memorat *de Besana*, & *de Porta Orientali*. Denique *Chronic. Flos Flor.* confirmat sic habens: *aliquando per Capitaneos factos per Archiepiscopum, in qualibet Porta specialis Parentela regebat.*

XVIII. Intelligimus ex eodem Chronico, singulare Vexillum, singulas Portas extulisse. *Unde* (sequitur testimonium mox allatum) *fuerunt Capitanei Portæ Romanæ, quibus præferebatur Vexillum ex toto rubeum: Portæ Ticinensis Capitaneis Vexillum ex toto album: Portæ Vercellinæ balsana* (seu fascia) *rubea superius, & alba inferius: Portæ Cumanæ tabulatum ex albo, & rubeo: Portæ Novæ Leones quadrati ex albo, & nigro: Portæ Orientalis Leones nigri in albo campo depicti.* Idem, Corius exscripsit, & suæ Historiæ consignavit, quanquam in *Portæ Novæ*, signo, aliquantulum discrepet: ait enim: *La nova sotto del Leon bianco.*

XIX. Nunc de Portis singillatim. Ac Portam quidem Romanam, ubi nunc Sancti Victoris Ædes, vulgò *San Vittorello*, extitisse, superius non semel dictum est. Nunc rei confirmandæ caussa hæc habe testimonia apertissima. Flamma *Chronic. extravag. cap.* 49. = *Hæc Porta fuit antiquitus in loco, ubi nunc est Ecclesia S. Victoris*. Rursus *in Chronico Maj. cap.* 175. = *In loco, ubi nunc est Ecclesia S. Victoris ad Portam Romanam, erat una Porta Civitatis, ubi erat &c.*, & *cap.* 264. *In Porta Romana, quæ tunc erat in loco, ubi est Ecclesia S. Victoris ad Portam Romanam, incipiebat &c.* Idem collige ex Libro Litaniarum ab Antonio Zarotto primùm impresso, scilicet Anno 1494., & in eodem, jussu S. Caroli reformato. Hinc

falsum esse apertissimè liquet, quod Corius docet, eam scilicet ibidem extitisse ubi nunc Ecclesia Sancti Clementis ad forum herbarium, vulgò il *Verziero*.

XX. Portam hanc subeuntibus vetustus olim lapis legendum se præbuit, ex quo Mediolanenses, magnam profecto sibi laudem afferunt, ac ab aliis, ut jam accidit, Urbibus, jure invidendam. Hoc siquidem perhibuit Epigramma.

Dic Homo qui transis dum Portæ limina tangis
Roma secunda vale, Regni decus Imperiale;
Urbs veneranda nimis, plenissima rebus opimis:
Te metuunt Gentes, tibi flectunt colla potentes:
Tu bello Thebas, tu sensu vincis Athenas.

Extitisse equidem hunc lapidem, tam omnes Historici nostri asseverant, ut contraire nefas sit. Mihi quidem multi somniasse videntur, cùm de illius Auctore, ac tempore erectionis differuerunt. Illum Marcello tribuit Flamma *Manip. flor. cap.* 21. sic. *Marcellus Dux Romanorum ablato nomine Alba, ipsam Romam secundam nominavit, unde in Porta, quæ nunc dicitur Romana, hos versus sic scribi fecit. Dic homo &c.* Gabinio quodam Viro Consulari à Romanis misso, Corius adscribit: *Inde volse* (Gabinius) *chè Milano si nominasse Roma secunda, e sopra della Porta Romana misse in marmoro questi versi a perpetua gloria di sì inclita Città, li quali doppoi Galeazzo Secondo ponere fece in marmorea tavola sopra il Ponte del Ticino a Pavia. Dic homo &c.*, deinde subdit, *E queste cose furono sotto il Consulato del Magno Pompejo.* In Oratione quadam M. S. Petri Philargi Archiepiscopi Mediolanensis, ac deinde Romani Pontificis, Theodosio Imperatori, aut Romanis, consignatur. Extat in Bibliotheca Ambrosiana, atque habet ita: *Propter quod* (scilicet antiquam Urbis dignitatem), *ut plerique ferunt, idem Theodosius Imperator, aut, ut aliis placuit, Romanorum Senatus in Romanæ Portæ superliminaribus hujusmodi metra*

con-

conscribi mandavit . Dic homo &c. Ego hercule , ut sensum meum manifestem ; etsi præclarissimum nomen *Secundæ Romæ* à Mediolano distrahere piaculum credam, atque ideo iis consentiam, quæ in Dissertatione illa sub nomine Justi Vicecomitis ad Antonium Gattum, disputata sunt: nunquam tamen tam ero vecors , ut vel Marcellum , vel alium quempiam, Romanorum jussu, illius Auctorem venditem. Primo enim, cui, nisi puero, imponas, eam Urbem , quam ipse vi subjugaverat , Urbem Romani nominis hostem antiquissimam, vix à se superatam, Marcellum, *Romæ secundæ* titulo honestavisse, & quod majus est *Urbem venerandam nimis, & Gentibus metuendam* , publico titulo , & incisis ad illud marmoreis literis , feræ item posteritati prædicavisse ? Quæ ratio, Corii non minùs sententiam infirmare potest. Quod ad Theodosium attinet , rem in medio relinquo. Certè ipsa ratio Leonini versus, quibus hoc constat Elogium, mihi recentior est, quam ad Theodosii tempora, referri queat.

XXI. Quapropter nonnulla de hujus carminis origine, libet per digressionem, hoc loco breviter inquirere. Ac primum animadverto, Leoninum carmen, à Rythmico differre. Hoc enim nulla habita pedum, & quantitatis ratione, verbis tantummodo ad numerum judicio aurium accommodatis, in extremæ dictionis fluiditate consistit. Illud verò, servata pedum dispositione , potissimum in earumdem syllabarum similitudine, atque iteratione, vel in medio, & in fine, idque in singulis carminibus ; vel in fine tantùm , idque in duobus . Rem Exemplis aperio . Extant apud Svetonium tres isti , quos Cæsarianos cæcinisse Milites in Imperatoris sui triumpho , testatur.

Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem:
Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias,
Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.

Hi mihi, & ante me Clarifs. item Scipioni Maffejo *Iſtor. Diplom. Diſ. de verſi ritmici*, Rythmici viſi ſunt: qui ſequuntur, ex Inſcriptione Comitiſſæ Mathildis:

Quamvis peccatrix, ſum Domna vocata Beatrix,
In tumulo miſſa, quamquam fuerim Comitiſſa
Quilibet ergo Pater Noſter det pro mea anima ter.

leonini ſunt primæ claſſis; alterius verò iſti Moyſis Bergomenſis:

Tempore, quo Galli Senones in Martis amore
Florebant, Italum petierunt Regna furore.

Rythmicum igitur carmen, quando jam Svetonio teſte, temporibus Cæſaris in uſu erat, ſanè eſt vetuſtiſſimum. Non ita tamen Leoninum. De quo Scaliger: Poëtic. *Lib.* 2. *cap.* 29. *Æque vitioſus Leoninus. Nominis cauſſam ignoro &c. &c. æquivocos quidam appellavere. Exempla.*

Vir precor uxori, frater ſuccurre ſorori.

Semipriſcis adeò probati, ut ſine illis quicquid ſcriberent, ineptum putarent. Macrius autem *in Hyerolex. verbo verſ. Leon.* inquit: Ita *appellatus à quodam Leone, qui eum in Italiam detulit.* Et Hofmanus *in Lexic.* ita: *Leonini verſus, qui aliàs Rythmici* (ab his differre jam diximus) *à Leone quodam Poëta dicti videntur, qui floruiſſe legitur circa tempora Lud. VII., vel Phil. Aug. Franciæ Regg., memoratus Ægidio Pariſienſi in Karolino, lib.* 5.

Nec minus in ſacris melico ſermone Leonem
Ludentem Hiſtoriis, & quem intepuiſſe dolemus.

Clariſſimus autem Muratorius *Præf. ad carm. de laud. Berg. edit. Tom.* 5. *Rer. Ital.*, quod multò recentius octavo ſæculo, Poëma illud probare contendit, *Verſus hi Leonini*, inquit,

(his

(his componitur Poëma) *& rythmo similiter cadente compositi, ut ut species aliqua eorum apud Veteres occurrere possit, initio tamen sæculi octavi nondum, aut in usu, aut in honore erant, & certè ex iis integra Poëmata nequaquam constituebantur. Hasce delicias, post Annum tantummodo à Christo nato Millesimum, aut primum, aut frequentius ad demulcendas aures hominum, Latini Poëtæ usurpare cœperunt.* Ritè, *aut primum, aut frequentius* inquit. Nam horum aliqui revera circa medium noni sæculi pro Inscriptionibus potissimum consarcinati leguntur. Etenim in Ostio æneo Ecclesiæ Monasterii Casauriensis, seu Piscatiensis, quòd Ostium Ludovici II. Imperatoris munificentia, Ughello teste, conditum fuit Anno 866. juxta Mabillonium, & Muratorium *in Chronic. ejusdem Monast.* hi versus, Leonini sanè, leguntur:

Ecce Pater Patriæ magnum tibi confero munus
Clementis Corpus, Tu sacrum suscipe funus
Martyris eximii Clementis suscipe Corpus
Insula Piscariæ Paradisi floribus hortus
Sceptro firmamus, regimen tibi summe rogamus
Insula Piscariæ, quæ nostri juris habetur
Libera perpetuò tua Cæsar jure vocetur,

quos ille *Tom. 6. Episc. Teat., num. 6.* singillatim retulit, & exposuit. Præterea si illa Modoëtiensis Templi Inscriptio, quam Ughellus affert *sub Mediol. Arch., num. 35.*, jussu Theodolindæ Reginæ exarata est, ut ipse quidem affirmat, ego autem minimè exploratum habeo; cùm Modoëtiensis Ecclesia, sub finem sæculi VI. constructa perhibeatur; alii adsunt Leonini versus multò vetustiores. Verum accipe tu Inscriptionem ipsam, quam si Theodolindæ imperio magis, quàm posterioris alicujus Longobardi ingenio ipse tribueris, (ut mihi quidem videtur;) Leoninum sanè carmen in ipsis, si fas ita loqui, incunabulis attigisti.

Condidit hoc Templum, multa virtute verendum
Theodolinda potens, Regni diademate pollens
Pro se, pro natis, vovit dulcedine Matris
Christi Baptistæ, cui sacratur locus iste.
Hic nostræ gentis caput voluit esse decentis
Langobardorum, talemque parare Patronum.

Profectò Doctiss. Gravina *della ragion Poet.*, ubi de hujus carminis specie agit, ejusque originem perscrutatur, illius caussæ adscribit barbararum potissimum Nationum in Italiam eruptionem, cui ego maximæ sententiæ subscribo, quam sanè cum Theodosiana prævertat ætas, nos eam in sequiora tempora Inscriptionem meritò rejecerimus.

XXII. Eum periisse lapidem ab Ænobarbico excidio, tenet Scriptor illius Dissertationis, de qua supra, *pag. 76.* Quod si verum est, non facile hanc Theodosio assignaverim, quin posteriorem Gothica vastatione probabilius credam. Nam cùm nihil magis quàm Romanum Imperium, ipsumque Romanum nomen delere Gothi contenderent, propterea ut, Vasæo teste *in Chronic. Hysp. sub Ann.* 413., Athaulphus, qui Italiam, ex Jornando *de reb. Goth. cap.* 31. universam diripuit, constituisse feratur, *obliterato nomine Romano, solum omne Romanum Gothorum Imperium facere, & Romam Gothiam appellare*: si illud tum Elogium extitisset, fuisset primo abrasum, & sic ab hominum oculis sublatum, ut vix ulla de eo, ad nos usque notitia pervenisset: fortè ut hanc, quam *secundam* appellari *Romam* depræhendisset, ante Romam primam, *Gothiam secundam* dici constituisset.

XXIII. Sed alius non profanus, ut ille, verum sacer, hanc de qua agimus, Romanam Portam, lapis illustrat. Hanc nos notitiam Puricello debemus, qui præ foribus vetustæ hujus Portæ, antiquum lapidem fuisse scribit, in quo sessus olim consedit Ambrosius, quando, ut Paullinus habet *in ejus*

vita

vitâ, Episcopus Urbis adlectus, *fugam paravit: Egressusque noctis medio Civitatem, cùm Ticinum se pergere putaret; mane ad Portam Civitatis Mediolanensis, quæ Romana dicitur, invenitur.* Hujus lapidis mentionem extare, diligens ille, & eruditus Vir, animadvertit in Codice quodam Metropolitano *Litaniarum totius Anni* (idem est, quem nos, superiori Dissertatione, retulimus *num.* 16.,) atque eodem satis vetusto. Ibidem enim, cùm ritus secundæ diei describitur, & jam Clerus è Nazarii Basilica versùs antiquæ Urbis limites fertur, ita *Diss. Naz. cap.* 64. *num.* 20. scriptum haberi refert. *Postea vadunt ipsam cantando* (Antiphonam) *ad lapidem rectum, ubi se apodiavit Beatus Ambrosius, quando fûgit, prope Sanctum Victorem in Portam Romanam.* Lapidem hunc, Puricellus in ejus columnæ, quæ non procul à *S. Victorello* est, substructione, tanquam sacro in loco, ad augustæ scilicet Crucis signum sustentandum, contineri adhuc credidit. Ea Crux à D. Carolo erecta fuit, quemadmodum reliquæ, in veterum Portarum confiniis, ab eodem statutæ. Sed jam alia ibidem ante extabat, in eo fortassis, de quo agimus lapide. Nam in Instrumento donationis sub die 20. Maji 1485. apud Camillum Sitonum *in Appar. de Ædif. Med. M. S.* mentio est Ecclesiæ Parochialis (suppressa Paræcia est, & S. Jo. ad Concham adjecta) *Sancti Victoris ad Crosettam*, item in alio Instrumento 1508. 18. Februarii, apud eundem Sitonum, pari titulo appellatur.

XXIV. De Porta Ticinensi nihil est peculiare, quod dicamus præter ea, quæ superiùs *num.* 10. relata sunt. Invenio tamen, Anselmum de Pusterla Archiepiscopum (electus est, juxta Doctissimum Saxium, *in annot. ad Landulph. Jun. cap.* 37. Anno 1126. die 30. Junii) Urbem ingressum per hanc. Ita Cathalogus Episcoporum apud Puricell. *mon. Amb. num.* 338. nobis tradidit. *Hic cum magna Comitiva Nobilium Mediolanensium in festo Sancti Michaëlis, per Portam Ticinensem intrans, in sede sua collocatur, ut mos est in talibus.* Morem intel-

tel-

tellige, quantum ad Nobilium comitatum, ejusque in sede collocationem, atque alios ritus in his peragi solitos; non autem de ingressu per Ticinensem Portam; nam circa ea tempora, nulla erat certa Episcopis Porta statuta, per quam Urbem subirent. De hoc vide nos superiori *cap. num. 6.*

XXV. Anno usque 1105., ad Portam Vercellensem Ecclesia erat *Sanctæ Mariæ ad Portam* dicta, in qua eodem Anno repertæ SS. Castoris, & Polimii Diaconorum Sancti Ambrosii, Reliquiæ quædam; quarum honori Festum illud dictum *Agios* olim celeberrimum institutum, narrat satis fusè Landulphus à Sancto Paullo *cap. 22.*, quem lege, si libet, *Tom. 6. Rer. Ital.*

XXVI. *PORTA* quidem *NOVA*, multò apud Scriptores celebrior est. Itaque hujus appellationis originem sic Flamma *Manip. flor. cap. 24.* fabulosè, ut ego sanè reor, describit. Eam libens excipe, qua te in legendo fessum recreamus. *In Civitate Mediolani erat quidam Dux, qui Idola despiciebat. Indignatus Archiflamen, ait Duci: quòd Statua sit Deus, volo tibi probare: quid sit tibi futurum, clarè pronuntiabit: quod est proprium Dei, scilicet futura prædicere. Respondit ille Dux. Si Statua aliquid sciverit mihi prædicere, per quam scilicet Portam sim cras exiturus, cùm ad venationem ibo, credam illam Statuam esse Deum. Archiflamen igitur, dato thure Statuæ Dei Apollinis, interrogavit de hac quæstione. Respondit Dæmon ille: Dux cras, cùm ad venationem ibit, est exiturus per Portam magis de novo factam. Quo audito, Dux cogitavit quomodo posset Statuam reddere mendacem, & cogitavit non exire per aliquam Portam Civitatis, sed præcepit servis suis, quòd media nocte murum Civitatis frangerent, ut de novo ibi viam facerent. Mane autem facto, Dux per illud foramen exivit, & sic verbum Diaboli verificatum fuit, quia per Portam magis de novo factam exivit: & propter hoc Porta Nova dicta fuit.* Flamma hucusque. Verùm dum rides, Lector, aliam accipe, de *NOVÆ PORTÆ* nomine conjecturam. Illius tu Judex esto, quam Jacobus Va-

le-

Pag. 41



QNOVELLIVS LF CNOVELLIO LF
VATIA VI VIRQ RVFO FRATR

In Fornicibus Portę novę.

lerius ad *monum.* 16. *Alciati in M.S., de quo supra num.* 13. nobis prodidit in hæc verba. *Novelliorum insignis memoria cum imaginibus duorum fratrum à nemine adhuc, præterquam à nobis observata visitur in fornicibus Portæ Novæ, seu Novelliæ, ut nos arbitramur ab istis denominatæ.* Certè ibidem duo capita in marmore sculpta, cum vetustis extare literis, sæpius ego cùm animadvertissem, dolebam præ loci, in quo sitæ sunt, altitudine à me legi non posse; fecit illud propterea, ut monumentum illud diligentiùs inquirerem, quod cùm fuerim aliquando consecutus, idem exactè delineatum, cum supposita Inscriptione, hoc ipso in loco ponere decrevi. Interea autem Valerio gratias egi, qui mihi obscuram licet, aliquam tamen, ejus monumenti notitiam retulit; cujus quidem, opinioni (quando jam non fabellæ, sed lapidi nititur,) dum aliam nos probabiliorem desideramus, fortè aliquis aquiescet.

XXVII. Porta, quam nunc Orientalem vocamus, præstanti satis nomine, appellabatur Anno circiter 1093., quo Placentina Synodus ab Urbano II. celebrata. Nam Arnulphus ille Episcopus Mediolanensis, qui à Landulpho Juniore *cap.* 28. de *Porta Orientali* dicitur, à Bertholdo appellatur de *Porta Argentea*, cujus Portæ nomen, ea tempestate fuisse, Doctiss. Saxius in eum locum Landulphi tenet, & Puricellus *mon. Amb. num.* 280. Eadem ab Otthone Morena *Arienzia* nuncupatur; quod nomen, teste Osio, corruptum, deinde *Rentia*, post *Renza* cœpit pronuntiari.

XXVIII. Restat ut de *Porta Tonsa* ultimo tandem loco, quæ apud Auctores sunt, afferamus (de aliis enim Portis cum illi silent, & nos reticemus.) Nominis hujus rationem nonnulli sic fabulis inficiunt, ut nihil, ne probabile quidem, liceat divinari. Flamma profectò, ut sibi in hoc item constet *in Chron. Maj. cap.* 293. rem quandam affert, non modò commentitiam, sed adeò turpem, ut me pudor ipse prohibeat, in meas lucubrationes inferre. Vult ipse, ex obscœna

quadam Mulieris Statua, ibidem post Ænobarbicam dejectionem collocata, Portam hanc *Tonsæ* illud nomen adeptam esse. Et quod magis miror, Gaspar Bugattus, Vir ceteroquì minus fabulosus, idem sibi persuasit; licèt aliam erecti ibidem turpis illius Simulacri, rationem sequatur. Ego sanè quam Flamma, & Bugattus, (qui se oculatum rei testem affert) Statuam describunt, ad Portam extitisse, non inficiabor, cùm potissimum Puricellus ejusdem sublatæ caussam afferens, eam se in Archintorum Domo ad Euripum Portæ novæ, vetustis spectationibus locupletem, translatam, & in muro sitam, vidisse affirmaverit *Mon. Amb. n. 529.* Nos quoque, non sine rei, & gestu, & inepta sculpturæ ratione turpissimæ stomacho, conspicati sumus, circa quam rudes nonnullæ literæ, & detritæ; nescio quid de *Porta Tonsa* comminiscuntur. Extitisse igitur turpe illud signum, ultro dederim; negaverim tamen ob illud post Ænobarbi cædem, erectum, *Tonsiæ* nomen, Portæ inditum fuisse. Nec me errare sinit Otthonis Morenæ Historia, in qua de obsidione Ænobarbica Anni 1158., legere pronum est. *Postea alio die quidam Mediolanenses per Pusterlam, quæ dicitur Porta Tonsa, ad præliandum exierunt.* Et infra. *Super quos Theutonici, & Cremonenses, atque Laudenses acriter irruentes, magnamque multitudinem ipsorum capientes, magno robore usque intra dictam Pusterlam de Porta Tonsa omnes reliquos fugaverunt.* En quomodo *Tonsæ* nomen, ut ipse item Ottho Morena, qui hæc scripsit, fato sublatus, Ænobarbi cladem antevertit. Verum de Mœniis, ac Portis, dictum sit satis.

CA-

CAPUT III.

De Arcu Romano.

I. NOn eſt ab ordine alienum, ut poſteaquam de Mœniis, ac Portis egimus, de illo ſtatim munimento Urbis celeberrimo, diſputemus, quem *Arcus Romani*, ſive quod à Romanis Conſulibus, aut Imperatoribus ſtructus, ſive quod ad Romanam Portam ſitus eſſet; illuſtri nomine, Priſci Cives, honeſtaverunt. De illo certè, tam magnifica legimus apud Hiſtoricos, ut illa, niſi nobis imponunt, non levem *Romæ* ipſi *primæ* invidiam, *Romanus* hic, ſive Mediolanenſis *Arcus*, meritò creare poſſit. Flamma eſt in promptu, qui in Codice majori Bibliothecæ Ambroſianæ, nempe *in Politia novella*, unde illud incipit *cap.* 125., de Romanis agens, quos Mediolanum amplificaviſſe memoraverat, ita ſubdit: *Arcum triumphalem in modum Pontis, qui ſuper flumina fabricatur, erexerunt extra Portam Romanam, longum per duo milliaria, hinc inde altiſſimis muris communitum, altum à terra, quantum poterat haſta militaris attingere.* Deinde *in Chronic. extravag. cap.* 44. multò uberiori deſcriptione, eundem nobis quaſi oculis ſubjicit, in hunc modum. *Arcus triumphalis fuit ædifitium longum per duo milliaria, in alto aëre columnis ſuſtentatum, amplum non multùm, hinc inde muris altiſſimis vallatum: in quibus erant feneſtræ obliquæ, amplæ interius, & ſtrictæ exterius, quæ dicuntur arcberiæ. In medio erat coclea, id eſt Turris rotunda, in tantum alta, quod totum planum Lombardiæ faciliter aſpiciebatur. Quotieſcunque aliquis hoſtis invadebat Civitatem, cui non poterant reſiſtere in campo, ne Civibus noſtris poſſet imputari, quòd eſſent obſeſſi; ſuper Arcum aſcendebant, qui erat juxta Civitatem protenſus; & poſiti in alto, faciliter reſiſtebant. Capto Arcu, ſtatim Civitas ſubjiciebatur hoſtibus. In iſto Arcu erat ſcriptum: QUI VULT MODICO TEMPORE VIVERE,*

MEDIOLANUM INHABITET, UBI VIRES PRO LEGIBUS, ET JURA IN OSSIBUS DESCRIBUNTUR. Hic Arcus positus erat in loco, ubi nunc est Hospitale Sancti Lazari, sive Leprosorum. Unde usque hodie dicitur Leprosis, qui sunt de Arcu triumphali, sive Romano. Iste Arcus, (hoc tene diligenter) *pluries fuit destructus, & nunquam in prima magnitudine reformatus.* Idem habet *in Chronic. Maj. cap.* 264., quod testimonium, nam à superiori solis verbis diversum est, propterea omitto. Latissima omnium prosographia hujus Arcus, se legendam exhibet in *Manip. flor.* ejusdem Scriptoris *cap.* 21. his verbis. *Anno à prædicta constructione . . . . . existente Civitate Mediolani sub Dominio Ducis Marcelli, Romanorum Coss., Romæ secundæ, idest Civitati Mediolani aliqua Privilegia concesserunt. Primo Arcum triumphalem ibidem construxerunt. Iste Arcus Romanus incipiebat à Porta Romana, & per duo milliaria protendebatur versùs Nosedam. In latitudine erat quasi per jactum lapidis habens spondilia ex utraque parte merlata: erat altus à terra quantum balista poterat attingere: Erat tantæ capacitatis superiùs, quòd totus Populus Mediolani ibidem recipiebatur faciliter. Cùm autem aliquod bellum instaret, Populus de Civitate exibat, ne obsessus videretur, & in Arcu simul conveniebant, & ibi semper erant bellorum pondera. Ubi est sciendum*, (hanc Flammæ doctrinam inferiùs discutiemus,) *quòd consuetudo fuit Romanorum, quòd quando aliquam nobilem Civitatem suæ subdebant dominationi, ante unam Portam Civitatis ad perpetuam rei memoriam, Arcum unum, quem Triumphalem vocabant, erigebant, in cujus fornice, illius Civitatis proprietates describebant intrinsecus; & ideò ipse Marcellus duo ante Portam illam, quæ nunc Romana dicitur fundamenta lata, & fortissima fundavit, quæ multùm distabant ad invicem, & super illas duas pilas, idest, fundamenta, Arcum mirabilem circumvolvit. In superiori verò parte Arcus Turrim rotundam altissimam ædificavit, quæ ferè per totum planum Lombardiæ aspicere potuit; & in volta Arcus subtus proprietates Civium Mediolanensium describi fecit in hæc verba: QUI VULT MODI-*

CO

CO TEMPORE VIVERE, MEDIOLANUM INHABITET, UBI VIRES PRO LEGIBUS OBSERVANTUR, ET JURA IN OSSIBUS HOMINUM DESCRIBUNTUR. Hæc Flamma. Quæ de eodem Arcu Corius, Bossius, Bugattus, aliique referunt, à Galvaneo exscripserunt omnia, quocirca hos negligo, & unum Flammam adduxisse sit satis. Aliæ sunt apud Radevicum Frisingensem *libro primo*, *cap.* 38., & apud Othonem Morenam *Tom. 6. Rer. Ital. pag.* 1013., ejusdem Romani Arcus descriptiones; sed has; quoniam spectant ad posteriora tempora, inferius rejicimus. Modò auctorem ejus, usum, situm, formam, dimensionem, quam priscis habuisse temporibus opinamur, paullo accuratè discutiamus.

II. De Auctore quidem si Galvaneum consulimus, ipse nobis Marcellum, aut Romanos sub ipso Marcello confestim prodit. Hanc certè traditionem, quæcunque ea foret, Mediolani viguisse, quo tempore in vivis erat Syre Raul, nunc primum *Tom. 6. Rer. Ital.* editus; scilicet Anno circiter 1177., ante quem ipse scripsit, ex ejus verbis accipe, Lector, quæ tibi subdo. *Vocabatur*, inquit, *Romanus*, *quoniam quatuor Arcus inferius habebat*; *& dicebatur*, *quòd Romani quando Mediolanum subjugaverunt* (Sæculo VI. U. C.) *in signum victoriæ eum ædificaverunt*. Quæ quidem opinio an Eruditis placere possit, rem in medio relinquo. Certè Sapienti illi Viro, qui suum, sub Anonymi Ordinis S. Benedicti appellatione, nomen occuluit; multis tamen, & mihi ipsi, doctrinæ fama notissimo, illud minimè arridet; Quocirca in notis ad *Morenarum Historiam Tom. 6. Rer. Ital. pag.* 1013. hæc animadvertit. *Bellissimè describitur à Radevico* (Arcus iste) 1. 28. *Certè opus alicujus Romani Imperatoris*. *Syre Raul*, *hoc Tomo edendus*, *& videndus habet*, *quod vocabatur &c. &c.* Post relata eadem, quæ nos, Syre Raul, verba; statim subjicit. *Vetularum nugæ*, *primo fortè à Syre Raul conscriptæ*. *In Urbe victrice*, *non victa* (Romani) *moles*, *& monumenta attollebant*. *Insubres subacti jure fœderis vixerant liberi*, *quoad latinitate*, *vel civitate Romana* fue-

fuere donati. Tunc solùm per Romanos Magistratus sponte regi cœperunt. Primus est Augustus apud Svetonium cap. 28., *qui* Jure sit gloriatus marmoream se relinquere (*Romam*,) *quam* Lateritiam accepisset. *Si ergo ante ipsum fuit Roma neglecta, quis Mediolani, vel alibi, opera marmorea, & magnifica moliri curavit? Brevis adhuc Prætorum, vel Proconsulum mora in Provincia, præsertim stante Republica, hæc credere dehortatur. Pauca hæc certissima; sed non hìc pertractanda, cùm nequeant cum brevitate pro dignitate explicari.*

III. Verùm det mihi Vir Eruditus, cui non ausim temerè refragari, ut quando jam *pauca*, quæ ex ipso retulimus, *certissima* sunt; eum ipse adeam, atque ei nonnullas de hac re dubitationes meas, addiscendi caussa, & pro mea imbecillitate, liberè manifestem. Ac primum, si nullas moles, aut monumenta in subjecta Urbe Romani attollebant, explicari mihi desiderarem, quo pacto Plutarchus, in Marcelli superius memorati Mediolanensium Victoris celeberrimi vita, ad calcem sic ferat. *Præter ea, quæ Romæ dedicaverat, Marcelli monumenta erant, Gymnasium Catanæ in Sicilia, Statuæ, & Tabulæ de Siracusanis in Samotrace apud Deos, quos Caberios nuncupant, & in Minervæ Templo apud Lindum: ibi hoc Epigramma Statuæ ejus fuisse adscriptum, Possidonius refert. Ille hospes &c.* De Pompejo autem *Solos Urbem nuper à Tigrane Armæniæ Rege vastatam*, (& à se victam), *instauravit*. Certè non leve hoc idem victoriæ monumentum, in victa Urbe: nec moles exigua videtur esse Urbs ipsa victa, novis mœnibus munita, aut ædibus instructa, quod unum si video, Urbis instauratione significatur. Extat, & in Gallia non leve Romanæ victoriæ monumentum, Arcus ille Arausicanus, quem quidem omnes ejus Regionis, aliique Historici, ob victos à Mario, & Catulo, Cymbros, Teutonasque, erectum fuisse, asseverant. Quin ex eo, quod nobis testatus est Joseph Pisæus, qui Historiam Arausicanam Gallico Idiomate edidit Anno 1639, non aliam Posteris, quam Cymbricam victoriam testificatur.

Re-

Refert ille in parte Arcus Occidentali, ubi Trophęa, & Captivi; Captivum quemdam jampridem injuria tempestatis excidisse: cùm autem & lapis, qui huic fuerat captivo suppositus dilapsus esset, quadraginta annis circiter antequam ipse Librum suum promulgaret, incisis in eo characteribus hoc nomen apparuisse: *TEUTOBOCCUS*. Quem lapidem, & quod nomen vidisse, ac legisse Patrem suum Virum fide dignum, à quo illud acceperat, idem Pisæus adjungit. Profecto, ut neque *Montfaucon* ipse *Tom.* 4. *p.* 1. *lib.* 6. diffitetur, *Teutoboccus* Teutonum fortasse Rex fuit, aut alius quidam, è Teutonum gente, ad prodendam de illis victoriam insculptus. Non me equidem latet, quæ *Montfaucon* ipsum ad dubitandum urget ratio, duplex videlicet spoliorum genus in Arcu sculptum, quorum alia navalia sunt, alia terrestria, prima autem non videntur Cymbricæ, Teutonicæq; victoriæ convenire. Verùm & rostra illa carinarum, remi illi, ac rudentes, quæ in superiori Arcus parte à *Montfaucon* relato, *ubi supra*, conspiciuntur, ad Marianam fossam sunt referenda, quam ipsius opus fuisse occasione Cymbrici belli Plutarchus nos docet in hæc verba: *Cùm autem subvectio commeatus, & longa ante & sumptuosa fuisset, brevem ipse, atque expeditam effecit. Etenim in ostiis Rhodani recursus maris limum multum congerebat, profundoque cœno à fluctibus eò compacto tumulus excitatus, laboriosam, & tardam per ea ostia navibus frumentariis subvectionem reddebat. Marius autem otio suorum Militum in eam necessitatem abutens, à Rhodano magnam fossam ad maris litus commodius perduxit, eoque aversa magna fluminis parte alveum profundum, & magnis navigiis habilem, cujusque ostia ad mare lævia essent, neque alluvie obstruerentur, perfecit. Vocatur etiamnum Fossa Mariana.* Propterea non ea victarum navium spolia, sed ingentium *navigiorum*, de quibus supra, illustria signa repræsentant, quæ cum, & Marii ipsius industria, & pro Cymbrici belli opportunitate deducta fuissent, jure cum trophæis hostilibus, quasi *media*, ut ajunt, *ad finem* fuerant in

Arcu;

Arcu, distincto tamen, ut ibidem extant loco, affigenda. Poni quoque Mallius in Alpina parte Novariensis Diœceseos, Cn. illius Mallii, qui cum P. Rutilio Rufo Consulatum gessit, & qui contra Cymbrorum motus, licèt improsperè dimicavit, monumentum esse censetur à meo Carolo à basilica Petri *in Novaria Sac. pag.* 217., quod optimis ibidem fulcit conjecturis.

IV. Præterea si ante Augustum, *fuit Roma neglecta*, proh quàm mihi iterum difficilis Auctor Plutarchus *in Marcello*, sic perhibens. *Syracusis donaria abstulit, quæ & triumpho suo splendori, & Romæ ORNAMENTO essent, &* paullo post: *Itaque apud Populum Marcelli gloria major fuit, qui Urbem ORNAMENTIS, gratiam, & VENUSTATEM GRÆCAM cum grata varietate habentibus, decorasset*. Vellejus item Paterculus non leve mihi negotium facessit *lib.* 1. Metellum Macedonicum, summum Romanæ magnificentiæ Auctorem prædicans. *Hic est Metellus Macedonicus, qui PORTICUS, quæ fuere circumdatæ duabus ædibus sine Inscriptione positis, quæ nunc Octaviæ porticibus ambiuntur, fecerat: quiq; hanc TURMAM STATUARUM EQUESTRIUM, quæ frontem ædium spectant, hodieq; maximum ORNAMENTUM ejus loci ex Macedonia detulit*: & mox addit: *Hic idem primus omnium, Romæ ædem EX MARMORE in iis ipsis monumentis molitus VEL MAGNIFICENTIÆ, VEL LUXURIÆ PRINCEPS FUIT*. Atque idem rursus in Libri secundi fronte, cum de Romanæ Urbis non magnificentia modò, sed structurarum fastu, luxuque dolentis in modum ita agere ingressus sit: *Potentiæ Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriæ posterior aperuit, quippe remoto Chartaginis metu, sublatàque imperii æmula, non gradu, sed præcipiti cursu à virtute descitum, ad vitia transcursum: vetus disciplina deserta, nova inducta; in somnum à vigiliis, ab armis ad voluptates, à negotiis conversa Civitas. Tum Scipio Nasica IN CAPITOLIO PORTICUS; tum quas prædiximus, Metellus; tum in Circo Cnæus Octavius multò amœnissimam, moliti sunt: PUBLICAMQUE MA-*

GNI-

GNIFICENTIAM SECUTA PRIVATA LUXURIA EST. Inferius autem eodem Libro cùm multa congerens, quæ Porcii, Marciiqne Consulatum satis celebrem Posteris transmiserunt alias quasdam Minuccii porticus memoret, scribente ipso clarissimas, in hæc verba: *Per eadem tempora clarus ejus Minuccii, qui PORTICUS, quæ hodieque celebres sunt, molitus est, & Scordiscis triumphus fuit*; prope ille mihi persuadet, multò ante Augustum Romanam Urbem structuris optimis præstitisse. *Scipio quidem*, ut optimè in notis ad Paterculum Lipsius, *porticus has fecit Censor, ut ipse paulò post adnotat. Hoc fuit decem circiter ante versam Carthaginem annis. Simile de Metello, & de Octavio*. Quin si ad propiora Augusto tempora jam descendimus: nonne Demetrius Pompeji Libertus ante Mitridatem victum, ut memoratus toties Plutarchus perhibet: *Romæ AMOENISSIMA SUBURBANA, ac Gymnasia pulcherrima habebat, hortique pretiosi erant, qui Demetrii nuncupabantur*? Ac demum, cùm ingens illud, ac toto Orbi celebre *THEATRUM*, Cnæum ipsum Pompejum struxisse, omnes intelligant; jam non levis tenet me dubitatio, quocirca Svetonium de Augusto per iperbolem locutum suspicor, qui equidem Imperator, etsi multò præclariorem, *marmoreis ædificiis* effecisse Romam, ultro dederim; non eam tamen sic ornavisse puto, quam nullis ædificiis celebrem, seu *neglectam* prorsus, is accepisset. Propterea si ante Augustum, Roma ipsa, & Marcelli ornamentis, & Statuarum equestrium turma, & Metelli, & Scipionis, & Octavii, & Minuccii Porticibus, si Demetrii Suburbanis, atque Gymnasiis, si Pompeji marmoreo Theatro, non magnifica modo, sed luxuriosa publicè, privatèque fuit, aliis item Urbibus, si minus tam nobilis, atque copiosi, aliquid saltem cultus, atque ornamenti liberaliter tribuamus, Mediolano autem potissimum per illa eadem tempora, Plutarcho teste, *Gallicarum Urbium capiti, aliisque omnibus frequentia hominum excellenti*.

V. Certè per eadem Augusti tempora non una præcla-

ris ædificiis Roma, honestata est. Polæ Templum superest, quod *ROMÆ*, *&* *AUGUSTO* dicatum, viventi quidem, ut ex Inscriptione est manifestum. *Vide Montfaucon Tom. 2. p. 1. lib. 2.* aliud simile Augusto pariter erectum in Urbe Milasa in Caria, cum Græca Inscriptione, quæ viventem adhuc Augustùm, significat. Imò in parte montosa Cottiarum Alpium, Arcus egregii operis visitur à M. Julio Cottio earum Regionum Principe, Augusti ejusdem honori constructum, ut ex Inscriptione à Scipione Maffejo Doctissimo, primùm explanatà, & *Pref. all' Istoria Diplom.* formis æneis promulgatà, conspicere, proclive est. Quæ quidem, non Augusti ipsius, sed Urbium, aut Virorum Principum, opus fuere. Quapropter, etsi Romanis illis, qui hanc, ante Augustum, Provinciam moderabantur, Mediolanensem Arcum adscribere negligamus; non inde tamen pronuntiari illico posse videtur, quod Vir Doctiss. initio adnotationis suæ, quam supra retulimus, ita constituit. *CERTE OPUS ALICUJUS ROMANI IMPERATORIS*. Potuit enim, ut ex adductis liquet, & Imperatores præcedere, & Mediolanensis ipsius, tum opulentissimæ Urbis, impendio, & cura constitui, si minus rei alicujus memorandæ monumento, saltem (quod mihi ex infra dicendis est verosimilius) Urbis munimento, & defensioni. Sunt hæc, de quibus Anonymum illum Doctissimum sciscitari aliquando cuperem, cujus ego auctoritati tantum defero, ut cum nihil de hac re statuo in præsentia, tum posteaquam ille omnem hanc, quæ animum meum percellit dubitationem, pro summa, quæ ejusdem est eruditione, ut credo, facile composuerit, non in alia malim, quàm in ejus opinione versari.

VI. Illud quidem pro certo mihi est; Radevicum Frisingensem minimè audiendum esse, *qui lib. primo*, *cap.* 38. Arcus hujus nostri constructionem alicui Theutonicorum Regum, expugnandæ Urbis caussa, tribui posse non dissentit; ubi post exactam Turris eidem superstructæ descriptionem,

atque

atque commendationem, ita habet: *Arcus Romanus appellatus est, sive ab antiquo aliquo Romanorum Imperatorum ob decorem, & memoriam in fornicem triumphalem erecta* (de hoc supra); *sive (ut in Gestis Longobardorum reperitur) ad expugnationem, & cladem Civitatis ab uno Rege nostrorum fuerit fabricata*. Satis, si video, ineptè. Quis enim sibi facile persuadeat, ad expugnandam Urbem, tantam molem non modò perfici, sed ne capi quidem potuisse? Nam, ut ipse testatur Radevicus, & solidissimo, & magnifico, & diligentissimo opere structa erat; quippe ex tam ingentibus lapidibus compacta, quos movere homines potuisse, vix quisquam crederet, atque iis non rudibus, aut vulgaribus; sed quadratis, & scalptis, quin tam exactè compositis, atque aptatis invicem, ut nulla compaginis junctura appareret. Sunt hæc ea ipsa, quæ Radevicus de Turri, atque Arcu fusius scribit, quæ infra *num.* 12., ad verbum nos ipsi exponemus. Atqui ad Urbem expugnandam, opus tale moliendum? Opus immensi laboris? Opus longissimi temporis, quod integrum non unus annus vir expleat? Atque illud, immota prorsus, nec resistente Urbe, in cujus surgeret muros fatalis machina, incipiendum, struendum, poliendum, ornandumque, & ad coronidem usque, & apicem perducendum, tutè, ac liberè facile potuisset? Nunquam illud mihi imposuerit Radevicus.

VII. Ex iis ipsis, quæ mox dicebamus, Arcus ejusdem usus, se facile prodit. Credo enim ad Urbis defensionem fuisse constructum. Neque me erroris arguent fortasse Eruditi, quibus apertè liquet, antiqua Urbium munimenta, non tantùm in soliditate, verùm in altitudine magis fuisse posita. Utrumque autem, in Arcu nostro, ex multis, quas supra dedimus, descriptionibus, luculentissimum est. Præterea, si utrinque in tantam longitudinem trahebatur, ut ad duo, quemadmodum testatur Galvaneus, milliaria protenderetur, (quod discutiemus infra:) profecto, & propter ingentem plurimorum Militum capacitatem, & propter summam solidissimæ structuræ extensionem, quæ facile totius Urbis

diametrum æquarat, erat ille, quasi arx quædam, ad Urbem tuendam posita, seu certè Antemurale munitissimum, quo uno manente in Civium potestate, aut vix capi ab hostibus Civitas, aut fortè capta, statim ab eorum manibus, eripi posset.

VIII. Situs erat Arcus extra Portam Romanam, atque hanc non modò Portam Urbis, sed etiam *Fossati*. Testis Otho Morena, qui in obsidione Ænobarbica victam jam à Friderici Militibus Arcus Romani, Turrim narrans: *postea*, inquit, *super eam quandam optimam preteriam fabricare fecit, quæ infra Portam, quæ prope Ecclesiam Sancti Nazarii fabricata fuerat, lapides maximos jactabat*. En Ecclesiam S. Nazarii intus Portam, non Urbis certè, à qua distabat, ut diximus *in primo cap.*, sed *Fossati*, extra quam Arcus erat. Sed idem Otho, apertius situm, quem inquirimus, ibidem dessignat. *Mediolanenses armaverunt Turrem, quæ dicebatur Arcus Romanus, quæ valde erat magna, & ad videndum mira, & quæ ædificata erat in capite Burgi Portæ Romanæ*. Eundem situm, etsi multas vices passum, servavisse tamen munimentum illud Mediolanense, mox adjiciemus.

IX. Quod pertinet ad ejus formam, puto Arcum hunc priscis illis temporibus, (quod infra etiam asseverabimus), in duo fuisse brachia protensum; inter quæ, medio loco editissima Turris erigeretur, non cochlea quidem, ac rotunda; ut Flamma superius effutiebat; sed quadrata. Quod ut affirmem, urget me lapidum omnium, unde ea constabat, quadrata forma, de qua testem se oculatissimum prodit Radevicus infra *num.* 12. referendus. Qui quidem quadrati lapides, cùm præterea, & magnæ molis singuli, & exactè invicem aptati essent, ut vix ulla compages appareret, (de quo etiam superiùs agebamus), Romanum sanè ædificandi morem apertissimè exhibent, qualem fuisse testatur Illustris Scipio Maffæjus, ubi de Arcu Alpis Cottiæ agit *Pref. all' Ist. Diplom.*, ac propterea illud item explodunt, quod idem Galvaneus *in*

Chro-

Chronic. Maj. cap. 175. sibi confixit; scilicet Arcum primitus erectum, ab Attila fuisse destructum, & alium novum cum altissima fuisse Turri restitutum. Turris enim, quæ Ænobarbo Mediolanum urgente stabat, Romani erat operis, ut dicebamus, eadem propterea, quæ primitus structa: non autem recens alia, post Gothicam vastationem excitata, quæ sanæ ob tum jacentem Architecturam, non præstantis illius, sed rudis planè, ineptique operis, extitisset.

X. Quæ pariter ad ejus dimensionem Flamma noster congessit, aliquantò mihi castiganda esse videntur. Quod ut præstem animadverto: Profectò priscis temporibus non eam tantùm, quam Morenæ, & Frisingenses narrant, Turrim, Arcui superstructam, pro Arcu Romano Mediolanensibus fuisse. Nam, utrinque quasi per duo brachia, nobilis ea, & celebris structura tendebat. Argumento est *Hospitale* illud *Leprosorum* Sancti Lazari, quo in loco extitisse Arcum, Flamma superius memorabat, *ubi nunc est Hospitale Sancti Lazari, sive Leprosorum, unde usque hodie dicitur Leprosis, qui sunt de Arcu Triumphali, sive Romano*. Quod *Hospitale*, nisi fallor, Syre Raul in Arcus descriptione, vocat Domum Malsanorum: *Turris quædam lapidea mirabilis opere posita erat in via, quæ vadit Melegnanum ante Portam Romanam, juxta Domos Malsanorum, & vocabatur Arcus Romanus*. De eo item monumentum quoddam affert Puricellus, *Diss. Naz. cap.* 37. *num.* 12., ubi ejus Xenodochii Administratores, Anno 1308. recensentur, & *de Hospitale de Arcu Romano* dicuntur. Item Eruditus Vir, & in Antiquitate summè versatus P. D. Laurentius de Georgiis Cisterciensis Ordinis in Monasterio S. Ambrosii, Moralis Theologiæ Professor, testatus mihi est, se monumentum quoddam vidisse ad Jura *Hospitalis Majoris* Urbis nostræ pertinens, ubi quidam ei locus conceditur, *ad sepeliendum mortuos de Arcu Romano*. Igitur ex his omnibus liquet ad hoc olim *Hospitale*, Arcum Romanum tetendisse. Certè ea, quæ solùm extabat Turris Ænobarbi tempore, cùm sita esset in

capi-

capite *Burgi Portæ Romanæ* non ibidem erat, ubi *Hospitale*, quod vel nuuc extat, licèt in alios usus traductum. Nam illud à Romana via paullo est remotius, & ad eam plagam vergit, quæ D. Celsi veterem Basilicam spectat; est enim ex Jo. Baptista della Porta *Jurid. Rel. de immun. Hospital. Magn. Mediol.*, teste in hac re omnium principe; nemo enim fuit jurium omnium vetustissimorum Majoris Xenodochii Mediolanensis, eo doctior, qui universum illius, dum vixit, Tabularium diligenter excussit: est, inquam *Hospitale Sancti Lazari denominatum etiam de Arcu Romano, situm in P. R., vulgo al Quadrono*. Versùs igitur eam partem latus illud antiqui ædificii, quod accedentibus ad Urbem, sinistrum erat, protendebatur. Idem sentit Puricellus, ubi supra, cujus verba in rem meam nimium opportuna huc retuli. *In ejus igitur Burgi capite*, (Romani,) *sicut ego interpretor, Turris ipsa stabat, & subtus eam transitus per amplissimam Portam patebat. Hinc inde verò se se in longum bina protendebant æqualiter ejus latera, ex eo saltem tempore, quo tanta erat ipsius Arcus longitudo: ejusdemque latus venientibus ad Urbem, sinistrum pertingebat ad eum fermè locum, quo Xenodochium illud stetit, & stat adhuc; eique propterea proprium ex Arcu Romano cognomentum reliquit.*

XI. Hoc præmisso, quod certum esse videtur, sic Flammam castigo. Teneo quidem Arcum hinc, atque inde extensum ritè affirmari; nimis tamen, & per summam iperbolem ad duo milliaria protrahi. Sanè, si tanta fuisset utriusque lateris extensio, certè latus illud ad *Leprosos* tendens multo eum locum excessisset; Propterea, & ad eum hortum fuisset, ubi ex D. Ambrosio SS. Nazarii, & Celsi Corpora reperta fuere, in cujus horti Historia aliqua proximi Arcus Romani, notio fortè digna memoratu erat, quæ tamen nulla est; quin viam usque Ticinensem transgressum esset, intra quam, & Romanam, certè unius milliarii spatium minimè interjacet. Nemo autem Scriptorum, & ne Galvaneus quidem, ad Ticinensem usque viam, protractum fuisse prodit, quemadmo-

dum

dum de dextero venientibus ad Urbem latere, apertè (etsi fabulosè) *versùs Nosedam* tetendisse affirmavit.

XII. Hæc certè latera, sequiori tempore, excisa nobis affirmant, qui Ænobarbi res literis consignarunt. Fortè in eadem Gothi, & Longobardi sævierant, unumque mansit, quippe firmius, ac solidius Turris, & subjecti Arcus ædificium. Propterea quale esset Ænobarbo Mediolanum obsidente, & quæ ad illud gesta fuerint, accipe, Lector, partim à Radevico *libro primo*, *cap.* 38., partim ab Otthone Morena *Tom.* 6. *Rer. Ital. pag.* 1013. Sic ille. *Erat non longè à vallo, idest quantùm Arcus jacere potest, quasi Turris quædam firmissima ex quadris lapidibus solito*, (lege solido) *opere compacta. Mirabilis autem fuit lapidum magnitudo. Nec enim ex vulgaribus saxis, aut quæ Homines ferre posse crederentur: sic autem manibus Artificum formata, ut quatuor columnis*, (Pilis intellige) *sustentata ad similitudinem Romani operis, vix aut nunquam in ea junctura compaginis appareret: unde & Arcus Romanus appellatus est; sive &c.* (pergit de Auctore differere, atque eadem habet, quæ supra nos *num.* 4. retulimus, & impugnavimus. Sequitur deinde:) *Erant in ea Virorum receptacula, & cœnacula*, 40. *Lectorum, vel amplius capacia: collectis ibi tam in armis, quàm in victualibus, quæ ratio necessitudinis ad obsidionis tempus desiderabat. Ibi Ligures sua præsidia locaverant duplici ratione, ut & hostibus usui non esset, cùm exinde quidquid in Civitate ageretur, velut è specula facilè videri, itemque quid in Castris fieret, quidque exercitus strueret, ipsis continuò denuntiari posset. Fridericus versis in contrarium rationibus hanc expugnare statuit: verùm cum nec instrumentis, sive machinis, aut aliquo tormentorum genere pro firmitudine sua pulsanda videretur, triplici ordine Jaculatorum, & Sagittariorum eam vallat: tantaque illorum erat, & magnitudo, & in feriendo peritia, quod non dubiè, mortem appeteret quisquis in propugnaculis appareret. Summa ergo necessitate coacti, dexteras petunt, & ut sibi parceretur, rogabant: acceptaque fide publica, munitionem tradunt, & recedunt.*

dunt. Exinde nostris arx illa usui. Hucusque Radevicus. Quo autem pacto usui hostium cesserit, narrat Morena. *Deinde Imperator Mediolanenses de ipsa Turre descendere faciens, suos in ipsam ascendere jubens, scalas ad ipsam Turrem apponere fecit;* (Nulla nisi amovibili scala in eam Turrim ascensum licuisse, erui videtur ex his verbis), *postea super eam optimam quandam preteriam, fabricare fecit, quæ infra portam, quæ prope Ecclesiam Sancti Nazarii fabricata fuerat, lapides maximos jactabat. Ipsi equidem Mediolanenses, duas alias preterias intus de ipsa porta habentes, quandoque supra ipsam Turrem, quandoque etiam satis ultra lapides projiciebant.* Hæc ad Arcum gesta Anno 1158. Sed Mediolanenses non multò post se Ænobarbo dediderunt.

XIII. Tum puto ab Ænobarbo Arcum illum Romanum funditus deletum, cujus etsi olim tam ingentis, atque firmissimi; nullum tamen nobis vestigium superfuit. In hanc opinionem versatur Puricellus, *Diss. Naz. cap.* 37. *num.* 12. ex eo, quod Otthonis Morenæ descriptio, de eo, tanquam de re jam sublata agere videatur. Alia mihi ratio esse potest, quòd in Urbis destructione Ænobarbi jussu peracta Anno 1162., etsi Acerbus Morena, aliarum structurarum, murorum verò potissimum, ac Turrium dejectionem narret, ne Arcus quidem hujus meminit, quod mihi ejus antea excisi inditium non leve videtur.

CA-

CAPUT IV.

De Fanis Deorum Urbi adjacentibus.

I. Antiquæ Insubrum Religionis, monumentum illustre sunt, quæ Cæsar in comentariis *lib. 6.* de Gallis disserens eorum pariter memoriæ consignavit, in hos sensus. *Deum maxime Mercurium colunt. Post hunc Apollinem, & Martem, & Jovem, & Minervam. De his eandem fere, quam reliquæ Gentes habent opinionem. Apollinem morbos depellere, Minervam operum, atque artificiorum initia transdere: Jovem imperium Cœlestium tenere, Martem bella regere &c.* Quorum certe, atque aliorum Numinum sic cultum viguisse, Mediolani potissimum intelligimus, ut si Flammæ nostro adhibemus fidem, Veteres usque Romani, ibidem quo decorè magis, ac perhonorificè Divina agerentur, Archiflaminem, seu quendam, ut ipse interpretatur, Sacerdotem Maximum, & Pontificum Principem, constituissent. Eum vide in *Manip. flor. cap.* 24., atque ei, si libet assentire.

II. Fana igitur, honori Numinum multa struxisse priscos Mediolanenses, ex eorum historia, est celeberrimum. Nos vero quoniam extra Urbem ad Romanum Arcum mox versabamur, ad ea potissimum Deorum Fana, quæ olim Urbi adjacebant divertere pedetentim ingrediamur. Primum, quem extra Urbem, Mediolanensium religionibus extitisse locum reperimus, nobis *in Chron. maj. cap.* 73. Galvaneus noster ita descripsit. *Tunc temporis prope murum Civitatis consitum fuit Pomerium, quod dicitur Brolium, ex omni genere arborum, & fructuum* (hoc loco, ni fallor, nimium cœcutit Flamma; forte enim putat Pomerium, à pomis seu fructibus appellari, cum veteribus longe alia hujus sit nominis interpretatio. *Vide Sigon. de vet. jur. Rom. lib. pr.* Hinc sibi locum arboribus pomiferis consitum suo Marte confixit.) *in tanta den-*

sitate, quod nemoris densitatem incurreret. Ubi nulli Personæ, nec habitare, nec arare licitum fuit. In medio fuit fons vivus, ubi Flamines in curribus arcuatis conveniebant, (rem in antiquitate, quantum ego scio, prorsus novam) *& loti prius fonte, auguriis, & diversis præstigiis, de futuris præcinebant. Et istud fuit primum Fanum, quod unquam in Civitate Mediolani constructum fuit.* Ego equidem, quantum ad ea tempora, quibus hoc in usu fuisse Mediolani affirmat, inter fabellas rejicio: illud enim temporibus Mesappi cujusdam Regis superius adscribit; quem Mesappum Mediolani imperasse, nemo sibi, nisi divinando facile persuadebit. Quantum vero ad auguria, & præstigia, ac futurorum prædictiones, pro firmo ac rato mihi est: præcipue cum Apollinis Fanum extitisse testimonia nos doceant luculentissima. Apollinem, autem de futuris postulatum à Priscis, nemo nisi in eruditione peregrinus, ignorat.

III. Ac forte hic idem locus à Flamma descriptus, ille est ubi deinde Fanum Apollineum extitit. Hoc certe ad eam circiter regionem erat, quam ipse Pomerium, seu Brolium vocat. Fuisse enim non procul à Romana Porta me docet Opusculum *de situ Civit. Med. Tom. pr. Rer. Ital. p.* 2. ubi ita de S. Calimerio. *Contigit ut cum aliis in Romuleo inventus Cimiterio, quod est in latere ejusdem Urbis meridiano, haud longe ab Apollinis Fano, ubi cum consuetudinario thure tendentes oratum, intuens quosdam, acrius more solito increpabat*; *ab eisdem, quos pie admonebat inhoneste correptus, Phœbi traditur excubitoribus horrendo pœnarum genere puniendus*. Erat igitur Delubrum non multum distans à *Cemeterio Romuleo* scilicet ad Romanam viam sito: (est in præsens Ecclesia S. Jo. ad Concham.) Igitur non multum à Romana Porta distabat, extra quam item Brolium tetendisse, argumento est S. Nazarii Ædes *in Brolio* dicta. Atque hinc Bossius facile confutatur, Apollinis honori illud Fanum asserens, quod Laurentianum, in eodem, ut ipse perperam scripsit, loco *multis ante Christum curriculis* antecessit. Sed de hoc, infra redibit sermo.

IV.

IV. Hujus Fani custodiendi caussa ii forte *Excubitores* publica erant auctoritate constituti, de quibus superius testimonium meminit. Certe non infrequens illud Cultoribus fuisse, illa eadem verba inditio sunt; thuris eò adferendi consuetudinem innuentia. Ut ut se res habeat: certe *KALIMERIUM* Mediolanensium Episcopum V., ac sanctissimum Martyrem, Commodo Regnante; ut Calchus, & Basilica-Petri meus habent; à Cultoribus Apollinis, cujus Fanum non longe ab ejus ædibus distabat, pugione confossum, & in puteum deturbatum intelligimus. Utrum in ipso Apollinis Fano, an alio in loco, meum non est pro certo affirmare. Profecto, si attendamus supplici cuidam Libello italicè conscripto, quem Pucinellus *in suo Zodiaco* integrum refert, ibidem fuisse aliquis asseverabit. Præsens enim Kalimerii Fanum, quod martyrii locus esse, ex invento ibidem Martyris Corpore in puteo, credi non immerito potest, Apollinis Templo successisse affirmatur; appellatur siquidem: *Chiesa successa in luogo del Tempio d'Apollo, Idolo distrutto dal detto Pastore nostro.*

V. Quod si est; quo tempore addictum illud Kalimerio fuerit, certe non constat. Id unum firmum sit, D. Laurentii Archiepiscopi cura, obscurum illud, & tenebricosum, ampliatis, ut puto, fenestris, vel numero auctis multo illustrius effectum, eo tempore, quo is Episcopus, anno circiter 494. aut 495., reliquam Urbem à Theodorico vastatam, restaurare aggressus est ex Puricello *in vita S. Laurentii Littæ*. Extat Ennodii Epigramma de hac re, quod inscriptum legitur.

In Basilica S. Kalimerii.

Sirmundus in notis ad Ennodium, nonnulla de hujus nominis scribendi ratione animadvertit.

Libera captivum meruerunt culmina lumen
Arridet facies nubila nulla gerens.

Hic nuper astrigeri dos proxima venit Olimpi,
Laurenti Vatis ducta ministerio.
Ædibus, & vitæ, cujus nunc una figura est,
Ceu Solis radiis forma, color similis.
Euge vetustorum Reparator, Perge novorum
Conditor; & vultu clarus, & ingenio.
Abjurant priscam, te Præsule, tecta figuram,
Alvena casuris porrigitur genius.

Fortassis ea loci obscuritas, esse posset inditium qualecunque prisci Fani Apollinei. Erat enim in more apud Ethnicos, ut Delubra Numinum, arboribus hinc inde consitis obscuro in loco figerent, atque eadem sine ullis fenestris, aut his angustissimis, aut uno interdum in superiori testudine, lucis aditu relicto struerent, quale adhuc Romæ Pantheon est, & Tibure Sibillæ Fanum. Unde cùm de Religione sermo apud Ethnicos, cum Poëtas, tum Historicos adeò frequens horroris, aut horrendi, mentio reperitur. Cujus quidem rei, tam prona est apud omnes, eruditio, ut eam nullis audeam testimoniis confirmare. Hoc autem, Fani illius Apollinei quodcunque argumentum, propter eos prodidimus, qui illud in Kalimerii honorem cessisse opinantur, quibus propterea, hoc inditio utendi facultatem, si velint, liberaliter facimus. Nos quidem nostram fidem non interponimus. In S. Kalimerii cultum, celebre est Altare illud aureum, quod loco ejus Corporis magnificè imposuerat Thomas Archiepiscopus, de quo plura disserit Puricellus *in Vita Sancti Laurentii Littæ*. Altare istud pretiosissimum, injuria fortè militari direptum, aut conflatum est, paullo ante vastatum Ænobarbi jussu Mediolanum. Legi enim apud Otthonem Morenam hæc verba. *Et devastaverunt ipsas segetes usque ad Sanctum Caremalum, & ad Ecclesiam omnium Sanctorum, quæ est in capite Brolii, & Ecclesiam Sancti Barnabæ*, (hæc ea est, quæ quatuor deinde post sæcula, Congregationi meæ cessit, & vulgare illud Barnabi-

ta-

tarum agnomen, eidem ingessit), *ac etiam Monasterium Sancti Dyonisii*. Quæ mihi, ut vastati Dyonisiani Monasterii aliquam opinionem creant, ita fortè eadem occasione, Altaris aurei militari licentia sublati, non levem injiciunt suspicionem.

VI. E finibus Romanæ viæ ad Ticinensem progrediamur, secus quam Herculis Fanum priscis temporibus stetisse, ubi nunc D. Laurentii Templum, mihi quidem certissimum prædicant Scriptorum omnium Mediolanensium testimonia, duobus demptis; Bossio, qui eum Apollini locum consignavit: (quam malè superius *numero* 3. manifestum est), & Alciato; qui *Rei Pat. lib.* 3. in ancipiti manet; cum eo autem, non multò post disputabimus. Illud autem, Maximiani Imperatoris monumentum fuit, qui cùm Herculeum se vocari jussisset, hujus item Numinis honori, Fanum illustre condidit; cum Thermis adjacentibus, ac sexdecim illis egregiis columnis striatis, è candido marmore, quæ ab injuriis temporum adhuc supersunt, quales hic apposuimus; iisdem prætereà, marmoreis signis, Statuis videlicet, aut aliis; quemadmodum Flamma habet *Manip. flor. cap.* 37. *avium, & piscium, & diversorum monstrorum* sculpturis impositis; quapropter Ausonius cecinit:

Et Regio Herculei celebris sub honore lavacri,
Cunctaque marmoreis ornata peristila signis.

VII. Ego sanè multorum, in hac re, opinioni subscribo, teneoque, idem quod deinceps Laurentii fuit, antea Herculis Fanum fuisse. Et cum Alciato quidem, hic loci, serere quæstionem oportet. Habet ille loco supra relato. *Existimant alii sensisse de Herculis Fano Ausonium, quod Divo Laurentio Sacrum posteriores nuncupaverant; Nam ex recentibus quidam Auctores sunt, Herculi, quem maximè venerabatur,* (Maximianus) *illud struxisse Templum, in cujus umbilico aurea ipsius Dei imago*

erat

erat throno eburneo insidens, unde responsa excipiebant Cives. (Rem hanc infra discutiemus) *Structuram delubri laudaveris, quòd latissima testudine, profundisque fornicibus edita, nulla tamen ferrea compage firmissima sit. Verùm ipse haudquaquam arbitror Maximiani Cæsaris illud opus esse, quod & in fenestris Cruces, & ædificii ratio non satis perfecta arguunt. Quapropter, aut Herculis ædem eo in loco non fuisse, aut si fuerit igne combustam crediderim, erectumque deinde Laurentio Templum.* Quibus ego, ut pro viribus occurram, primo quidem animadverto, Alciatum ipsum aliter in Monumentis Patriis sensisse, ubi in M.S. Illustriss. Com. Silvæ, de quo supra: *ad Mon.* 102. expressè docuit: *Quo loco Laurentii Fanum est, eo Templum Herculis quondam fuit.* Alciatus autem hæc Monumenta, post scriptam Patriæ Historiam congessit; ut Proœmii in eadem, prima ipsa verba testantur ita. *Quum in scribenda Patriæ Historia diu versatus essem, aliquotque ejus argumenti libros jam absolvissem &c.* pergit narrans se deinde in libellum, Monumenta quædam Patria conjecisse. Videtur igitur & in nostram aliquando opinionem migrasse. Verùm hoc negligamus. Certè quod nos, senserat pridem Flamma apertissimè *in Manip. flor. cap.* 37., qui ne Alciato quidem scribente Auctor tam recens erat, neque tam infirmæ apud ipsum fidei, ut ei aliquando, credulam aurem non adhibuerit. Sed operæ pretium est, eas rationes perpendere, quibus nititur Adversarius noster. Atque illæ non prorsus solidæ, (pace dixerim tanti Viri), ac firmæ esse videntur. Num fortè lippi omnes, ipse autem linceis oculis, ut, quæ ceteris præstantissima, uni ipsi *non satis perfecta ædificii ratio*, esse videatur? (Non hic, Lector, de præsenti Laurentianæ Ædis structura loquimur, sed de ea, quæ præcessit Annum 1573., quo, die 12. Junii, improvisò corruit, ut Carolus à Basilica-Petri refert *in Vita Sancti Materni.* Propterea, te monitum volui, ne ulla ambiguitas suboriatur.) Video equidem, & Corium, & Bugatum, & Merulam oculatos testes de Fani hujus structura, satis magnificè loqui:

Unus

Unus me Tristanus tueatur Vir sanè non cœcus. *Templum verò ipsum*, inquit *libro primo in calce* ⌶ *regali quidem, & Cæsarea opulentia structum magnificè est, quippe Romano Pantheo, altitudine par, sex, & septuaginta brachiorum latitudine, eo quatuor amplius. Præterea quadrata rotundæ formæ adjecta quatuor præaltis Turribus arcis in morem assurgit*. Atque hic Laurentianum Templum certè non somniculosus viderat, qui illud tam exactè metitus est. Aliud me non minus testimonium movet, quod hujus præstantiam prodit. Lege opus illud Faccii de Ubertis: (Is Poëta ante Annum C. 1400. scripsisse traditur), quod inscribitur *Dittamondo*. Ubi de Mediolano disserit, hos versus accipies.

Poi fu in San Lorenzo più d'un' ora
Vago de quel lavoro, grande & bello
Perchè esser mi parea in Roma allora.

Quin paullo remotius adeamus Arnulphum *Tom. 4. Rer. Ital. lib. 3. cap. 21.*, eòque, de incendio, quod Anno 1071. Mediolani accidit, fusius disserente, nisi vecordes sumus, præstantiam ædis nostræ singularem fas est, fateamur. Ita Arnulph. *S. ipse Laurentius vivæ carnis olim cruciatus incendio, iterum se flammis permisit exuri, cujus speciosissima omnium adeò fuit Ecclesia, ut relatu difficilè videatur*; deinde post ornamentorum descriptionem, sic exclamat. *O Templum, cui nullum in Mundo simile!* Equidem fateor, ex hoc ipso incendio grave detrimentum passum fuisse Fanum illud præclarissimum; non tamen illud funditus, & quod ad structuræ formam pertinet, deletum concedam. In quam opinionem me ipse Arnulphus ducit *lib. 4. cap. 8.*, ubi agens de novo quodam propter ignem, Anno 1075., è Cœlo lapsum incendio; quatuor scilicet annis à superiori, ita scripsit. *Nec tamen ex toto illis ardor iste pepercit Ædibus, quæ prius incensæ multis jam fuerant reparatæ sudoribus*. Reparata igitur intra eos quatuor annos fuerat Lauren-

rentii Ædes: non ergo funditùs eversa ob incendium, nod ergo nova prorsus, ac diversæ structuræ excitata. Ergo eadem probabiliter Alciato scribente structuræ forma, quæ Arnulpho vivente. Structuræ inquam forma non ornamentorum. Si igitur Arnulpho tam præstans undique Ecclesia, cur Alciato tam deterior?

VIII. Scio equidem nonnulla esse, quæ adversari videntur, ex duobus Kalendariis pervetustis, quorum alterum ex Bibliotheca Ambrosiana prodiit, *Tom. 1. Rer. Ital. par. 2.*, alterum Sitonianum *Tom. 2. earundem Rer. par. 2.* promulgatum est; in quibus tam immania passum legitur Templum illud Laurentianum, circa finem XI., & initium XII. Sæculi, ut, si ea vera sunt, quæ nos examinanda aggredimur, Alciati fortassis opinionem perspicuè tueantur, nos ex utroque Kalendario, rem subjiciemus.

Ex Kal. Ambrof.	*Ex Kal. Sitoniano.*
Martii. III. Non. MLXX. Ecclesia S. Laurentii combusta est. Augusti. Prid. Non. MCXIX. combusta est Ecclesia Sancti Laurentii Majoris ab igne de Porta Zobia.	Prid. Non. Augusti. Anno Domini MCXXIV. combusta est Ecclesia S. Laurentii ab igne de Porta Romana. VI. Kal. Novembris. Anno Domini MCIII. cecidit Ecclesia S. Laurentii.

En igitur, ab Anno 1070., ad Annum 1124., spatio scilicet Annorum 46., si Kalendaria hæc attendimus; primo Laurentii Fanum combustum, scilicet Anno 1070., deinde collapsum Anno 1103., iterum succensum Anno 1119., demum novo igne correptum Anno 1124. Proh quàm mala in illud fata! Verùm ego utriusque Kalendarii fidem nutare suspicor, atque ea non à Sinchronis fortasse Scriptoribus esse conscripta. Adest nobis Arnulphus supra relatus, qui suam ex Clarissimo Mu-

Muratorio Hiſtoriam circa Annum 1085. conſcripſit, & qui propterea ſaltem aliquot ex iis infortuniorum, teſtis eſſe poſſet, qui tamen de Laurentiano Templo duo illa, quæ ſupra attulimus, tantummodo in Hiſtoriam ſuam retulit. Sed illud magis ſuſpicionem meam confirmat, quòd Arnulphus non Anno 1070., ſed 1071. apertè incendium illud primum conſignavit. En ejus verba *lib.* 4. *cap.* 8. *Anno humanitatis Dominicæ Milleſimo ſeptuageſimo quinto, Indictione tertia decima, tranſactis quatuor à memorato ſuperius incendio Annis, propinquante ſanctiſſimo Paſchæ feſto, ſecunda videlicet Hebdomadis authenticæ feria, miſeranda iterum Civitas divinam perſenſit iracundiam &c.* (Pergit narrans novum Urbis incendium). Ergo ſi hoc incendium Anno 1075., quatuor à ſuperiori incendio Annis accidit, illud non Anno 1070., ſed 1071. neceſſe eſt contigiſſe, *primo*, ut *lib.* 3. *cap.* 22., idem habet, *Quadrageſimæ Sabbato*. Igitur Kalendarium illud Ambroſianum in hoc errat. Nec minùs mihi vacillat Sitonianum, ubi Anno 1103. corruiſſe Laurentium ſignat. Jam ex Arnulpho ſuperius animadvertimus, Laurentianam Ædem quatuor illis, qui utrumque incendium Annis interceſſere, fuiſſe *multis jam ſudoribus reparatam*. Quæ etſi novum aliquod paſſa detrimentum eſt, tamen leve illud fuit, eodem teſte; ait enim, *nec tamen ex toto illis ardor pepercit Ædibus &c.*, propterea non omninò quidem pepercit, multum tamen pepercit. Illam igitur vix 32. ante Annis *magno ſudore*, hoc eſt multo opere, atque impendio reparatam; quis credat paullo poſt corruiſſe, potiſſimum à novo igne tantummodo leviter læſam? Præterea, ſi eo Anno 1103. concidiſſet, quomodo ſtatim Anno 1119., novis flammis incenſa? Sanè 16. nondum Anni elapſi fuiſſent, quorum ſpatio novum Fanum, idque non levis operis, quatuor ingentium Turrium, magnæque teſtudinis tam latæ dimenſionis, qualem ſupra Triſtanus refert, erigi oportuiſſet. Nimis breve ſpatium eſt temporis; nimis ea tempeſtate præteritis incendiis Urbs afflicta, ut tam exiguo intervallo, adeò


præclarum opus molitos fuisse Cives, affirmare prudenter valeamus. Ac demum, si quinque statim Annos post, scilicet Anno 1124., denuo exarsisse putaverimus, credamus unà oportebit malo alicui, aut fato, aut homini, perpetuum incendendi hujus Templi munus, constituto præmio, commissum fuisse, quando illud tam crebro conflagravit. Kalendarium propterea utrumque, in hac re parvipendimus. Sed aliud argumentum præcipuum est, quod aut Gothorum, aut Longobardorum, aut alio sequiori tempore Architecturæ ars supinè jaceret. Ea autem structuræ ratio, prorsus est præclara, & singularis; nam externa quatuor Turrium vis, immanis illius testudinis sustentandæ gratia sine ulla ferramentorum, ut idem fatetur Alciatus, compage; mira satis inventio est, ut non barbari alicujus temporis, sed Romanæ tantummodo Architecturæ opus prudenter censeri possit. Apello Architecturæ Peritos. Quid plura? audiamus ex vetustissimo Rythmo, de quo supra quàm vetus sit eadem, quam & nunc habet forma.

Gloriosè sacris micat (Civitas) *ornata Ecclesiis*
Ex quibus alma est Laurenti intus alavanis
Lapidibus, auroque tecta, edita in Turribus.

Iconem ejus formæ, quam ipso Tristano vivente, habuit, (cujus ex Autographo delineavimus), sanè elegantis, hoc loco subjicimus. Quin & Fani illius, & Herculei Lavacri, quæ supersunt vestigia, cum erectis in iisdem recentibus ædificiis, distinctè expressimus. Columnæ illæ sexdecim, & quatuor Turres vestigia sunt vetustissima. Testudinem Templi, quæ modò extat, utpote prorsus recentem; ne aliquam confusionem gigneret, solis punctis dessignari curavimus. Quod ad fenestras attinet, nihil evincit; ea enim additio, aut mutatio, profano item Templo à Christianis fieri potuit, Crucibus adjectis, vel cùm illud expiatum in Laurentii cultum cessit, vel cùm post incendium reparatum est.

IX.


Jani Herculei, quod Ecclesia deinde S. Laurentii fuit Prospectus
ex Tristani Calchi M.S. autographo pag. 19:
in Ambros. Bibliotheca.



Pag. 66.



Pag



UMNÆ

IX. Fuisse in ejus umbilico auream Herculis Statuam in throno eburneo, unde Cives responsa exciperent, ex ipso Alciato superius audivimus, quod credo è Flamma eruit, id expressè *Man. flor. cap.* 37. scribente. Sed hoc mihi est Flammæ ipsius commentum, res enim inaudita Eruditis, nisi fallor, Herculem de futuris postulari. Apollinem Prisci quidem interrogabant. Et hæc fortè ea ratio est, propter quam Bossius cùm ibidem Oracula excepisse Cives legeret, Apollini Fanum illud adscripsit. Sed ego malim hoc commentitium credere, quàm Apollini, pro cujus Fano alibi sito, aperta testimonia adduximus, assignare. Mentio est in Antiquario Alciati M. S. *Herculis in Petra Sacra*, de quo ita *Mon.* 57. habet ille: *mihi simplicius accipi placet*, (scilicet ille titulus), *quod hoc nomine ejus Dei Templum apud nos in honore esset*. An hujus, quod modò Laurentianum, an alterius in Herculis honorem Fani hæc appellatio foret, non est mihi animus statuere in præsentia.

X. De tempore autem, quo ab Herculis, ad D. Laurentii religionem migraverit, suspicatur Puricellus *Vita Sancti Laurentii Lit. cap. 26. num.* 10. Ausonii usque tempestate, Christiano ritu expiatum fuisse: Ejus sit hæc conjectura. Theodosii tamen Senioris ævo, idem probabilius credit. Dubia hæc. Certum est, antequam Sanctus Eusebius Mediolani Episcopus legeretur, (adlectus fuit Anno 451., ex Puricello *Diss. Naz. cap. 64. num. 6.*) Sancto Laurentio dicatum fuisse, in ejus enim Fano Gregorius Turon. *de Gloria Martyr.*, prodigium illud narrat accidisse christallini calicis, ab eodem Eusebio, tum Diacono, confracti, & fusis ad D. Laurentium precibus, integrè restituti. Cujus quidem Eusebii nomen, etsi Gregorius reticeat, scimus tamen illud esse, ex Ambrosiano Breviario, ubi *die* 12. *Augusti* de Eusebio, eam ipsam Historiam legere pronum est. Prodigii hujus occasione calicem illum, diu in Basilica, ac supra Altare suspensum mansisse, ab eodem Gregorio didicimus per hæc verba. *Tunc*

Pontifex loci, suspenso super Altare calice ex tunc agens, & impostèrum per singulos Annos devotissimè festa instituit celebrari.

XI. Ad Laurentii Fanum, D. Bernardus Abbas Clarevallensis hospes acceptus Anno 1134., ut Landulphus à Sancto Paullo sic tradit *cap.* 42. = *Tandem idem Populus, ut haberet Abbatem illum*, (D. scilicet Bernardum) *in Archiepiscopum ad Ecclesiam Sancti Laurentii, in qua erat hospitatus cum Hymnis, & solito Kyr. cucurrit*. Aliam item rem ad Laurentianam, Herculianam olim Ædem, peractam, Anno 1161. die 8. Augusti, audi, Lector, ab Otthone Frisingensi *Tom.* 6. *Rer. Ital. pag.* 1096. in hos sensus. *Super Portæ Fossati, dum acriter Imperator inter hostes præliaretur, equus ejus ibi confoditur, & ipse aliquantulum vulneratur. Tandem Mediolanenses intra Portam se recipiunt, & ipsorum quamplures in Ecclesiam Sancti Laurentii confugiunt, non audentes ad Portam accedere; & ipsa Ecclesia, tum quia ferè nox erat, tum etiam quia non poterant expugnari, nisi per Ostium Ecclesiæ, viriliter se defendentes illæsi permanserunt*. Ac de Herculeo Fano jam ista sufficiant.

XII. Ad Jovem flectamus oportet. Hoc ad D. Vincentii vetustissimam Ædem, Jo. Antonius Castilionæus posuit in suis Vincentianis Antiquitatibus, qui cùm de eo satis fusè disseruerit, non te diu, Lector, obtundo. Ex Inscriptione quadam Vincentiana, ubi hæc habentur

S. IOVI ET PROBO
V C. CON.

aliisque, ubi crebra de Jove mentio, Templum Jovi à Viro Romano Patritii Ordinis conditum putat. De hoc non disputo, quanquam mihi non satis firmum videatur. Circa tempus, quo erectum illud opinatur, scilicet paullo post subactos Romanis Mediolanenses, Jovi ea ratione soluto voto, *ad novi imperii firmamentum contra Transalpinos Gallos, ad ornamentum Urbis, & decus, ad imitationem, & exemplum Patriæ*

suæ

suæ Dominæ Gentium, *ac terrarum*; ea mihi improbabilis est conjectura. Nam Romæ Marcellus ob relatam de Insubribus victoriam, opima eidem Jovi spolia offerens, ac Furius, Marcelli in Consulatu Collega, quod Jovi Templum voverat, si de Insubribus triumphasset, cùm Romæ jam erexisset, ut ex Livio accipimus; satis ille voto solutus fuerat. Ex quo ipso magis improbabile videtur Furium Mediolanensis istius Fani conditorem suspicari. Item an istud à Jove ad Beatissimæ Virginis cultum traduxerit D. Barnabas, quemadmodum memoratus Castilionæus sibi facile persuadet, tu Judex esto Lector: Te enim ad eum mitto, si vis. Non enim cuncta vacat per tempus singillatim examinare, præcipuè cùm ille, nimis multa ad suam hanc opinionem congerat utcunque fulciendam, quæ à re nostra nimis divertere cùm existimemus, satius duximus statuere te quæstionis Arbitrum, quam ad ea limam nos, aut cribrum adhibere. Non desunt tamen, qui alia in Urbis plaga Jovis Templum extitisse asseverent. Paulus certè Morigia, quem etiam Puricellus *Mon. Amb. num.* 64. adducit, ibi fuisse vult, ubi nunc Majus Monasterium, atque inde, scilicet ex Jove quatuor illas porphireticas columnas, translatas affirmat, quæ modò in Basilica Ambrosiana conspiciuntur. Hoc mihi parùm exploratum esse videtur. Nam Theatri quidem, & veterum murorum, non autem Templi alicujus vestigia, ibidem superfuerunt.

XIII. Martis quoque Templum Priscos struxisse, inter ceteros Alciatus monet in M. S. *ad Monum.* 38. ita differens. *Martis Templum apud Majores nostros celeberrimum fuit, quod subsequens ætas abrogato priori nomine, Victori Martyri nuncupavit, dedicavitque, hodie tamen passim Victoris Martii dicitur*. Nullam hac uberiorem de Fano Martis, quem Prisci Insubres coluerunt notitiam reperi, quantum hucusque legendo sum assecutus; nisi fortè ad illud referri posse arbitremur, quæ Cæsar *in Commentar. lib. 6.* de Gallis etiam Insubribus loquens, ita nos docet. *Huic* (Marti scilicet) *cum prælio dimi-*

care

tare constituerunt, ea, quæ bello ceperunt, plerumque devovent; quæ superaverint animalia capta immolant, reliquasque res in unum locum conferunt. Sanè nullus aptior ad id locus, Martis Fano videtur. Hæc certò extitisse, Deorum Templa scimus; de Bacchi, atque Æsculapii Delubro, quoniam dubitari potest, peculiarem vacat hoc loco instituere disputationem.

CA-

CAPUT V.

An Mediolani extiterit Bacchi, & Æſculapii Fanum.

I. QUi Mediolani, Bacchi Fanum extitiſſe, ſibi perſuaſerunt; atque illud, aut à Divo Ambroſio expiatum, Sanctiſque Martyribus dicatum; aut ante ipſum Ambroſium, ſed in eo, ubi deindè Ambroſianam ille, Ædem ſuam molitus eſt loco; ut Boſſius, & Caſtilionæus *Faſcic. flor.* 1. *pag* 7. opinati ſunt; Ii potiſſimum duplici conjectura ducuntur, quarum utramque, noſtrum eſt in præſens, ad trutinam revocare. Primo autem, ex quodam prægrandi lapide, ac pervetuſto, qui adhuc ſcribente Puricello ad D. Ambroſium, in Turri Canonicorum affixus viſebatur, (nunc ſublatus eſt: qua de cauſa prorſus incompertum), Bacchi ibidem Delubrum antiquitus crediderunt, quod ille inſculptos Vindemiatores, atque à vitibus pendentes uvas, referret. Præterea ex quodam veteri Simulacro, quod olim in eo Templo extitit, tueri ſe magis opinionem ſuam poſſe exiſtimarunt. Illud enim, ut Alciato quidem in M. S. Monumentis Patriis, *Mon.* 16. viſum eſt, Bacchi ſignum fuit. Verùm, quod ad primam attinet conjecturam, ea mihi continuò ruit, à Puricello *Mon. Amb. num.* 395. apertè accipienti, eam Turrim nihil vetuſti eſſe; quin circa Annum tantummodo 1143., excitatam fuiſſe; quamquam revera, eandem aliquantò ante extitiſſe, illæ nos controverſiæ moneant, de quibus ibidem differit Puricellus. Eam igitur, Anno 1128. conſtructam, Auctor *Diſſ. de Tum. Sanctæ Marcellinæ*, ex quodam Anſelmi V. Archiepiſcopi Diplomate, in Canonicorum Tabulario, ut apud ipſum, exiſtente, manifeſtum eſſe monet. Atque hæc quidem, quandovis ſtructa; certè nullius veteris Ædificii veſtigiis impoſita, aut nixa eſt; ſed funditus, & à primo uſque lapide excitata. Nam ex Compendio

dio quodam jurium Ambrosiani Monasterii, apud Puricellum: *Monum. Amb. num.* 395. legimus, quòd fuerunt hujus Turris erigendæ caussa *Abbas*, *&* *Monachi requisiti ad ponendum primarium lapidem*.

II. De illo veteri Simulacro, antequam opinionem meam aperuerim; Alciati in illud verba refero, ex Codice M. S., de quo supra. *Omnino illud marmor commendabilius est, quo Statua inest peritissimi Artificis manu facta, quam vulgus Herculis esse arbitratur, sunt qui Panos Dei, at nos Bacchi esse sentimus, non solùm Hircinæ pellis argumento, sed & vitigeni baculi, quem manu distringit, nec quidquam nos movet Leo, quem cauda apprænsum tenet, cùm & inter Bacchi cognomenta, Epigrammatum Græcorum libro primo eum Poëta appellet nunc* [illegible]*, nunc* [illegible]. *Sed & in IIII. similia arma Bacchi, & Herculis esse dicuntur: &c. Ridetur & apud Aristophanem in Ranis Bacchus Herculis habitu ad inferos descendens.* Verùm, ut meas quidem conjecturas proferam: Primo cùm ille, quicunque sit insculptus Deus, sustinere Leonem cauda, & eundem cædentis in modum, erecto baculo respicere, Tu ipse ex apposita Icone, quam infra, in *Appendice*, promulgabimus, Lector, depræhenderis: vix sentio, quî Bacchum referret, cui quid usquam cum Leonibus fuerit, fabulæ silent. Ille profecto, ut apud Horatium *Lib. 2. Ode 19.*, Leonis olim spoliis horrens, seu, ut alii interpretantur, in Leonis formam mutatus, Rhæcum dejecisse Gigantem legitur, ut is quidem, Bacchum alloquens, ita expressit:

Tu, quum Parentis regna, per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,
Rhæcum retorsisti, Leonis
Unguibus, horribilique mala:

cum Leonibus autem conflixisse, nusquam reperi. Quod si Græcis Bacchi, & Herculis nomen promiscuum, non unam ta-

tamen Bacchi, atque Herculis pingendi, exprimendique rationem fuisse, argumentandum est. Quodque ab Aristophane rideatur Bacchus, Herculis habitu ad inferos descendens, illud nos docet quidem, Herculeis indumentis Bacchum contegi aliquando licere, nunquam tamen, quæ solus egit Hercules, Baccho tribui, aut Bacchum, quæ sunt Herculis gesta molientem, exprimi prudenter posse. At enim. Num illud Herculis signum? Ne illud quidem. Potissimum & Hircina pellis, & vitigenus baculus, & habitudo ipsa corporis, minimè lacertosi, aut torosi, sed lenis potius, & ad exile accedens, quin ipsa non magni illius, atque horrendi Leonis, qualis Nemæus fuerat, sed parvi, exiguique Leunculi cauda in sublime erecti forma, nimium dissuadent. Hic enim Catulus quidam Leoninus mihi videtur, quem fortè, ex antro surreptum, *FAUNUS* ille, (nam Faunum referre eam hominis formam opinor), recurvo fuste, tanquam gregis hostem aliquando futurum, percutere, atque interficere connitatur. Similes vidi Figuras apud Gorlæum in *Gemmis sigillaribus*, fuste eodem, & nebride instructas, quas Gronovius, Bacchi Satellites referre interpretatur. Quapropter, cùm dubia adhuc sit ea Dei figura, non video quo pacto aliquis, eidem nixus, de Bacchi Fano, statuere quidquam prudenter possit. Fuerit autem nec ne, non ego in quæstionem voco. Id unum contendo; ex allatis mox conjecturis hoc esse minimè exploratum.

III. Nec illud dissimile, quod de Æsculapii Templo, meum est secundo loco statuere. Donatus certè Bossius *in Chron. sub Ann. C.* 390. De Ambrosiano Templo, hæc ad nos usque transmisit. *Instauravit* (Ambrosius. Verùm non instauravit, sed funditus erexit) *hoc idem Templum*, *quod ejus tempore sub Bacchi titulo*, (falsissimum, ex iis, quæ ad explodendum Æsculapii Templum mox dicemus), *colebatur: Verùm, ante Christi adventum*, *Æsculapii Medicinæ inventoris fuerat: argumento est*, *quòd adhuc in medio ferè Templi in marmo-*

rea columna, æreus Serpens erectus est, in qua forma Æsculapius colebatur, quem Populus in languorum remedia suppliciter visere solebat. Hanc opinionem Arlunus secutus est, & post ipsum Cicerejus, *in M. S. nostro* Monumentorum ab Alciato prætermissorum, *lib. primo Mon.* 12. ita scribens. *Admirandum etiam Veterum artificium in hac ipsa Æde* (Ambrosiana), *ostentat SERPENS ILLE COLUMNÆ IMPOSITUS, & maximè conspicuus ex ære perfectus, quem imperiti eum esse opinantur, quem Dei Opt. Max. jussu, mandatove de furcula suspendit Moyses. Aliter, & verè, ut arbitror, de hoc ipso sentit Arlunius Jurisc. in eo libro, qui de Originibus Urbis Mediolani inscriptus est; esse videlicet SERPENTIS EPIDAURII Simulacrum pro Æsculapio, à Veteribus olim cultum.*

IV. Imperitam sanè opinionem hanc, etsi Eruditorum hominum, fas est profiteri. Primo enim vix ullum sub Ambrosio, fuit Mediolani Idololatriæ vestigium; multò autem minus Fanum, integrum adhuc, & Bacchi cultui publicè addictum, quocirca ab illo esset expiandum. Multò autem minus, in eo à se ritè dicato, vetus illud Idolum, seu *SERPENTEM* illum *EPIDAURIUM* reliquisset. Hoc fine tanti Viri, Sanctissimique injuria à nemine credi potest; ut ille videlicet, qui adversùs aram Victoriæ, qui contra Symachum tam acriter disputavit, non aram, sed Idolum ipsum integrum, atque illæsum neglexerit. Sed illud magis mirum est, Epidaurium nempe Serpentem, in eam formam à Veteribus cultum, qualis ea Ambrosiani est, Viros in Antiquitate versatissimos, credere potuisse. Multa ego Monumenta consului, reperique alia prorsus ratione Æsculapii Serpentem Priscos, innexum scilicet baculo, atque ipsi circumvolutum, figuravisse. De hac re Gronovium, & Gorlæum *in Gemmis sigillaribus, atque antiquis*, quin *Montfaucon*, videre licet. Quid igitur: nisi ille Epidaurius est anguis, anne *MOSAICUS* ille vetustissimus, censendus erit? Illud à me averruncent Superi, ut tam anili fabulæ insistam. Equidem hoc loco constitue-

tueram Boscam ipsum arguere, qui in Libello *de Serpente Æneo*, commentum illud instauravit; Atque illud, potissimum, quod ut hanc suam opinionem tueatur, Augustinum Torniellum ex Ordine meo Virum Clarissimum, ingressus est non carpere modò, sed quasi puerilem Scriptorem irridere, converso ad eumdem sermone in hunc modum *pag. 97.* = *Tornielle, parcius ista Viris objicienda memento*. Utinam in hac re non imponendas pueris nugas ipse scripsisset. Sed nos qui religionem profitemur, à convicio calamum interdicimus. Extant in Doctissimi, & Annalium Sacrorum Veteris Testamenti Parentis hujus commendationem, nimis luculenta Scriptorum Clarissimorum testimonia, qui eum satis, & ultra quàm opus sit ab hujusmodi censura vindicant. Extat adversùs Boscam, in Tornielli favorem, acris quædam, &, si ego quidem video, multùm evidens Apologia, quam paullo post editum Boschæ Libellum, Demetrius Supensius, è mea Congregatione conscripsit, quæ in Bibliotheca nostra Mediolanensi Sancti Alexandri in M.SS. servatur, & fortassis non multò ab hinc, in nova, quam Angelus Maria Rinaldus, mei item Ordinis Vir eruditus, adornat Tornielli editione, multis Notis, ac Differtationibus aucta, typis consignabitur, cùm ad eum locum perventum erit, quo illam, fortasse, res postulabit. Quocirca, non ego Boscam ultra suggillo; nec ullis, quæ extra rem meam essent, (solùm enim contendo *SERPENTEM* illum, non esse *ÆSCULAPIUM*) rationibus confuto. Quod si aliquam meam opinionem de illo, liberaliter aperire juvet: Ego *SERPENTEM* illum affirmaverim *TYPUM QUENDAM CHRISTI SERVATORIS*, in Cruce suspensi, cujus quidem Imago in opposita columnæ, atque Serpenti parte, antiquitus posita est; Serpensque elatus, ut cùm in eum Christiani aspicerent, verba illa Christi comminiscentes: *Sicut Moyses exaltavit Serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium Hominis*; in spem inde majorem consequendæ salutis erigerentur, quibus modò, non

ut olim Judæis, *in ÆREUM SERPENTEM*, sed in ipsum Vitæ auctorem, ac salutis arbitrum intueri, multò confidentius concessum esset. Ac demum, quantum ad ea, de quibus quærebamus Fana; ex omnibus, quæ discussimus argumentis, nihil ne probabile quidem evinci, Lector, intelligis.

CAPUT VI.

De Speleo Aciliano.

I. SPelei notitiam, quod olim extra Urbem extitit, Alciati potissimum solertiæ debemus, qui cùm magnam illam veterum monumentorum congeriem, in unum volumen redigeret, hanc quoque nobis, Acilii ejus Auctoris memoriam, ex tenebris, atque oblivione servavit.

D. S. I. M
P. ACIL. PISO
NIANVS. PATER
PATRATVS. QVI
HOC. SPELEVM
VIIIGNIS AB
SVMPTVM COM
PARATA. AREA A RE
PVBL · MEDIOL
PECVNIA SVA
RESTITVIT

II. In eam verò sic idem scripsit. *M.S. Co. Silvæ mon.* 15. *Antiquissimum quoque ibidem* (ad D. scilicet Ambrosii Fanum) *existit Acilii Pisoniani monumentum, qui Pater Patratus, Sacerdotio insignis liberalitatis suæ mnemòsynon constituerit, & Diis superis, inferis, medioxumis, (sic enim notas illas interpretor) consecraverit. Hujus mihi expositionis auctor est in Cistellaria Plautus hoc carmine. At ita me Dii, Deæque superi inferi, & medioxumi. Sanè quod in saxo legitur* VIIIGNIS, *more Antiquorum scriptum est, qui inter duo* I, *tertium semper addebant, Charisio auctore, & Prisciano libro primo.* In eundem quoque La-

Lapidem, alia multa commentatus est Vir eruditissimus Catellianus Cotta, *in eodem M.S.*, quorum nonnulla huc afferre opportunum est. *Quam gloriæ*, inquit, *avidus P. Acilius Pisonianus, qui ex Fœcialium Collegio unus, à patrandis, idest sanciendis fœderibus Pater Patratus dicebatur: hic igne consumptum, quod Mediolani erat, Speleum restituit, quamobrem ingratissimi omnium futuri sumus, si hujus hominis liberalitatem, vel ætate corrumpi, vel nocentis alicujus infando consilio vastari perpetiemur; quamvis quòd in Mediolanensibus fuit, penè subruptum sit ejus rei μνημόσυνον*. Deinde post nonnulla: *Quod utinam plures imitarentur! sed jam avaritia eo progressa est, ut nonnisi privatæ quisque consulat utilitati, bonæ artes jacent, & passim regnat sola pecunia: Accedit his, quod æternitatem nominis nullus, aut certè rarissimus aliquis procurat, quàm propter ut digna majores nostri faciebant, ut laudarentur. Sanè quod in Saxo legitur* VIIIGNIS *more antiquo dictum est, qui inter duo* II, *tertium semper addebant*. Hæc ad Lapidis explanationem, & Viri hujus in Patriam liberalis honorem.

III. Expedit verò, ni fallimur, *SPELEI*, de quo & in Lapide mentio, & præsentis Instituti tractatio est, nomen, atque significationem, de qua nihil nos duo illi docuerunt, paullo attentius perscrutari. *Speleum*, Græca vox inter Latinas cooptata, speluncam significat, antrum, seu prærupti montis cavitatem, ferarum latebris opportunam, quapropter apud Maronem legimus, *Eccl.* 10.

Certum est in sylvis inter Spelæa ferarum
Malle pati.

In lapide autem nostro, neglecta dyphtongo, *SPELEUM* scribitur; neque mirum tibi, Lector, esto; quippe vetustis in monumentis, quæ tua est eruditio, sæpe nullam ejus haberi rationem deprænderis. Sed Græcis recentioribus, Hofmanno teste, ea vox Σπήλαιον, adhiberi cœpit pro subterraneo,

raneo, & cavato loco, ubi pollincta mortuorum Cadavera conderentur. Sic in textu Joannis *cap.* 11. *num.* 38. *Bibl. Reg. Tom.* 5. Lazari Sepulchrum Σπήλαιον dicitur, & *Gen.* 25. *num.* 9. *ejusdem Bibl. Tom.* 1. Abraami moumentum Σπήλαιον τὸ διπλοῦν; scilicet in quod duplex aditus pateret. Et Christi certè Sepulchrum specus fuit subterraneus, & concameratus, quod jure eodem posset nomine nuncupari. Speleum etiam pro sacro quodam nonnullis Diis loco, Veteres quidam acceperunt, quod ex Lapide à Dempstero, *paralip. ad cap.* 11. *lib.* 2. promulgato manifestè deducitur; habet enim:

D. S. I. M.
FL. SEPTIMIVS. ZOZIMVS. V. P.
SACERDOS. DEI. BRONTONTIS
ET. AECATE. HOC. SPELEUM
CONS TITVIT.

IV. Sanè in eo Lapide, *SPELEI* nomen, non antrum aliquod Ferarum, significare, illa eadem, quam supra retulimus, Cottæ explanatio persuadere potest. Quid enim tanta amplificetur hominis liberalitas, si feras ea tantummodo attingat, præclari Viri munificentia? Præterea, etsi Mediolani extitisse intelligimus septum quoddam immane, ubi Feræ cujusvis generis, quin ingentes interdum Colubri, atque Dracones, Ludi, aut Spectaculorum caussa, includerentur, quod *Ergasterium* Scriptores nostri dixerunt; tamen cum alia prorsus in Regione, scilicet ad *Brolium*, sive ad eam plagam, ubi nunc Sancti Nazarii Ædes, illud aliquando extitisse, tradiderint; quid est quod de Ferarum Speleo quidquam hoc loco suspicemur? Lapis enim noster ad D. Ambrosium effossus, ut supra adnotavimus.

V. Ex ea fortè Acilii liberalitate, quam adeò Cotta magnificat, suspicabitur quispiam, ad ea circiter loca, ubi Lapis repertus, multò antiquius, Sepulchrum aliquod commune,

ae, Civium usui extitisse. Sanè ita Adrianus Turnebus *lib. 5. adverf. cap.* 16. docet. *Cùm olim, qui locupletes erant, in suis fundis aliquid loci sepulturæ ponerent, & privata haberent ibi sepulchra sibi, familiæque suæ, aut hæredibus: Plebs, quæ agris, fundisque carebat, in loco aliquo communi sepulturæ destinato humabatur: Sepulchrumque commune vocabatur, ubi sepeliebatur. Ex quo scripsit Horatius lib.* 1. *Satyr.* 8.

Hoc miseræ plebi stabat commune Sepulchrum.

Ac locus quidem extra Urbem tum erat, atque ab ea non multùm dissitus, quòd & ejus tempestatis usui, & rei opportunitati multùm congruebat. Ut enim Romæ extra Urbem via Appia non procul à mœnibus, aulas quasdam multorum cineribus, aut Cadaveribus condendis, præclaro opere constructas fuisse scimus, cujusmodi ea est Augusti Libertis decreta, quæ Anno 1726. detecta est, & in quam Illustrissimus Blanchinus dissertissimè scripsit Romæ Anno 1727., ita fortè opinari se posse, nonnulli credent, absumpto vi ignis *SPELEO*, seu *SEPULCHRO* Veteri, Pisonianum, ea comparata area recens struxisse. Accedit, ab eo non procul loco, notum illud in Mediolanensi Historia, Philippi *Polyandrion* extitisse, quod eam fortè condendis hominum cineribus decretam suburbanam Regionem, significare videtur. Quæ opinio, si cui placeat, dicendum erit; *Ollarium* aliquod, Aulam scilicet quandam cinerariis ollis condendis, (teste enim Cæsare *Commentar de bell. Galli. lib.* 6., apud Gallos, quorum nomine & Insubres, ea tempestate veniebant, ustrinæ usus maximè, & ut ego ex ejus testimonii verbis deduco, vel ante Romanos, vigebat), excitatam, & opportunè constructam, Pisoniani pecunia fuisse.

VI. Verùm, etsi ego quoque in ista fuerim opinione aliquando versatus, quocirca ad commune hoc, cui addicebam, Sepulchrum Mediolanense illustrandum, quantum vires

res ferebant, multa congesseram; in aliam tamen sum opinionem deductus, neque levibus, si quidquam sentio, conjecturis. Ut ut enim, eam Epigrammatis Inscriptionem: D. S. I. M. cum Alciato, & Cotta pro *Diis*, *Superis*, *Inferis*, *Medioxumis*, accipiamus; (infra enim aliter ostendemus, interpretari posse), tamen non ea facile *SEPULCHRO* illi, sive *OLLARIO* communi, aptari posse videtur. Etenim in funereis, & sepulchralibus monumentis, non aliam, quàm *MANIUM*, seu *Inferorum Numinum* mentionem fieri animadvertimus. Res ex immensa, quæ apud veterum Inscriptionum Collectores extat, eorum monumentorum mole, est in confesso. Quid hìc igitur, *MEDIOXUMI*, & *SUPERI* maximè, dissiti prorsus à funeribus Dii, in chorum veniant? Videntur igitur illæ Inscriptionis notæ, quanquam ut supra acceptæ, aliquem communem locum Diis illis omnibus dicatum, neminique eorum incongruum, significare, qui eo *SPELEI* nomine potissimum appellaretur.

VII. Sed longe alia esse potest, quatuor illarum literarum significatio. Certè ejus, quam supra nos *num*. 3. retulimus Inscriptionis, olim ad Sanctam Mariam Transpontinam extantis, & sertis, & craniis bubulis dependentibus ornatæ, priores notas D. S. I. M. Smetius aliter interpretatus est, in hunc scilicet modum:

DEO. SOLI. INVICTO. MITHRE

propterea, si & de Aciliano Lapide nostro, tale aliquid exposuerimus, profecto non aliud, quàm Fanum, seu melius Antrum aliquod sacrum, fas est *SPELEI* nomine intelligamus.

VIII. Persæ equidem, Solem *Mitram* appellabant, Strabone teste, *lib*. 15., cujus Simulacrum cum tiara figurabatur, manu utraque bovis cornua premente, unde illud Statius cecinit *Thebaid. lib. primo in fine*.

Adsis o memor hospitii, Junoniaque arva
Dexter ames: seu te roseum Titana vocari
Gentis Achemenicæ ritu, seu præstet Osirim
Frugiferum, seu Persei SUB RUPIBUS ANTRI,
Indignata sequi, TORQUENTEM CORNUA MITHRAM.

Sacra ejus Mithriaca appellata, in *Antro* fieri moris erat, (cui ritè *Spelei* nomen respondet), educto cornibus Bove, quem mox victimam immolarent. Creditur Zoroaster, primus in Montibus apud Persidem, floridum Mithræ specu, dedicavisse. Certè, etsi antequam Templorum constructionem homines excogitarent, Antra Diis quibuscunque consecrarentur, sicuti Jovi in Creta ab Curetibus, in Arcadia Lunæ, ac Pani licæo, ac Dionysio apud Naxum; tamen vel post egregiam Templorum, ceteris Diis constructionem, dedicationemque; unus in *Antro* coli Mithra perseveravit, ubicunque ejus religio vigeret. Multa quæ hujus Numinis extant signa, in Antro sculpta repræsentantur. Et Romæ certè Specum ejus cultui addictum extitisse eruo ex D. Hieronymo ad Lætam, *Epist.* 7. apertissimè; habet namque: *Ante paucos annos propinquus vester Graccus, nobilitatem patriciam sonans nomine, cùm Præfecturam gereret Urbanam, nonne SPECUM Mithræ, & omnia portentosa Simulacra, quibus Corax, Niphus, Miles, Leo, Perses, Helios, Bromius Pater initiantur, subvertit, fregit, exussit?* Igitur cùm adeo *Spelei* nomen, Antro, seu Specui conveniat, cùm Specui, Antro, seu *Speleo* Mithræ Dei Religio tam bene congruat, cum *Superis Diis* Sepulchri dedicatio dissentiat, cùm Smetii superior interpretatio, potissimum ex bubulis illis cervicibus inscriptam Basim cingentibus, minimè sit contemnenda; videor ego & Mediolanense *SPELEUM*, pro Sacro Soli, seu Mithræ loco interpretari posse, cujus quidem, etsi nullum vestigium supersit, præclarum tamen illud mansit in descripto Marmore Monumentum.

IX.

IX. Ex quo alia item de eo notitia, ad nos penetravit; ſcilicet & multò ante Speleum illud Mithriacum extitiſſe, quando *Acilii Piſoniani pecunia*, quoniam *vi ignis abſumptum fuerat*, fuit deinde reſtitutum. Verùm quæret aliquis. Quo tempore ſuam hanc in Mithram Deum, Piſonianus exercuit liberalitatem? Difficile eſt de hac re divinari. Certè cùm Patris-patrati dignitas, de qua mentio in Lapide, tam vetuſta ſit, ut de ea apud Albanos uſitata, tempore uſque Tulli Hoſtilii Romani Regis, mentio ſit apud Livium *lib. primo* per hæc verba: *Fetialis Regem Tullum rogavit: Jubes ne me Rex cum Patre-patrato Populi Albani fœdus ferire?*; quin Fetiales, quorum de numero Pater-patratus dicebatur, (ſive is eſſet cui & Pater, & Filius foret, ut Plutarchus ſentire videtur, ſive is cui feriendi, ſeu patrandi fœderis munus tribueretur, quod alii cum Alciato, & Cotta ſupra relatis, exiſtimant), cùm juxta Plutarchum, *in Numa*, & Dionyſium Halicarnaſſæum, *lib. 2.*, à Numa Rege inſtituti fuerint; quin eorundem apud Livium 1. *Decad. lib.* 10. in rebus Romuli interdum nomen legamus, petito fortaſſis more, à priſcis Aboriginibus, ut Dempſterus *Paralip. lib. 3. cap. 21.* nos docet: poſſet ob hanc rationem cum Lapis, tum Speleum ipſum, multò antiquiſſimis temporibus aſſignari. Certè non erit temporibus Varronis recentius. (Is eſt ille M. Terentius Varro, qui tempore Ciceronis vixit, eique fuit amiciſſimus), qui ſuo tempore obſoletum jam Fetialium munus docere videtur, cùm ait: *Per hos fiebat* (Fetiales), *ut juſtum conciperetur bellum, & inde deſitum*: ſic enim hoc poſtremum verbum, & Andreas Turnebus *Adverſar. in Varr.*, & Joſeph Scaliger interpretantur, deinde ſcilicet eum uſum abrogatum fuiſſe. Pro quo alia mihi ratio eſt, quod & hic in libris *de vita Populi ad Nonnium*, & Plutarchus *in Numa*, ſatis fusè perſequuntur priſca munera Fetialium, de quibus ideo, tanquam de antiquato quodam officio, Poſterorum memoriæ, videntur prolixius conſuluiſſe. Non ego tamen multò anti-

quis temporibus *Spelcum Acilianum* consignabo. Dissuadet enim, quam in Lapide legimus, Latini sermonis ratio, minimè obsoleta. Quapropter si hanc ipsam attendimus, videtur non multò Varronianum tempus antecessisse. Eo siquidem in Epigrammate ea unica est VIIIGNIS scribendi Ortographia, quæ sapiat archaismum.

X. De forma, ac dimensione, ejus nihil explorati habemus. Ea tamen verba in Marmore: *COMPARATA AREA*, *Speleum* illud, satis capax fuisse fortassis indicant, cui struendo *AREA*, locus scilicet satis latus, ac patens *A REPUB. MEDIOLANENSI* compararetur. Nisi fortè (quod probabilius est), iccirco Aream emit Acilius, ut amplior ante ipsum pro accessu, & decore, campus pateret. Unum pro certo affirmandum est, illud inscriptum Marmor, cui acceptam Veteris hujus Ædificii, (videtur enim ad Antri similitudinem constructum aliquod Ædificium fortassis fuisse), notitiam referimus, vel in ipsa *Spelei* fronte, vel in intima ejus parte, decenti sanè, eoque conspicuo in loco, olim legendum se, accedentibus, aut subeuntibus præbuisse.

CA-

CAPUT VII.

De Fanis Deorum positis in ipsa Urbe.

I. DUo intra Urbem, eorum saltem, de quibus notitia ad nos penetravit; Fana Deorum antiquitus extitisse, legendo perdidici: Jani videlicet, ac Minervæ. Utrum utri vetustate excellentius, non quæro. De Jani Fano primum disseram, quòd hæc apud Galvaneum lego. *Primum Templum, sive Fanum, quod fuit in Civitate Mediolanensi constructum, fuit in loco, qui dicitur Sancti Joannis ad quatuor facies. Ibi Idolum Militis in equo, quod erat æreum fusile deauratum. Caput Militis fuit quadrum in modum trabis quadratæ, in primo quadro erat sculpta imago pueri juvenis; in alio facies hominis; in alio facies senis; in alio facies viri decrepiti. Et hoc significat, quod JANUS, apud Subres distinxit Annum in quatuor tempora &c.* (hic significationem quatuor illarum facierum exprimit, post addit.) *Illud Idolum fuit dedicatum astro Solis, quia facit in Anno CCCLXV. dies. Et istud Idolum habebat in manu dextra numerum CCC., & in manu sinistra numerum LXV., qui numerus Anno Solari competit. Habet in manu clavem, cum virga, quia omnium portarum, & viarum rector existit, & custos. Unde aliqui dixerunt, quod inde dicitur locus ad Mazzam. Et fortè fuerunt duo Idola ejusdem stemmatis, quorum unum fuit, ubi est Ecclesia Sancti Joannis ad quatuor facies, aliud positum, ubi est Ecclesia Sancti Domnini ad Maziam.* Hæc ille. In quibus, Janus mihi equester, novus accidit. Janum quadrifontem, nobis multa veterum testimonia produnt. Extat & nunc Romæ Arcus ille quadratus, seu Fanum illud *Jani quadriformis, seu quadrifrontis* nomine. Cetera etiam probo. Conjectura de appellatione Loci *ad Mazzam*, ac de altero ibidem Jani Dei Delubro, quem quidem Alciatus *ad Clavam* dixit, *in M. S. ad Monum. 66.*, mihi levior est; ex virga enim, quam

quam manu tenuisse Janum, perhibet, nomen illud *Mazza*, non sentio derivari facilè potuisse: Fortè illud ad *Clavam*, ex *Clavi* corrupto nomine facilius trahi potuisset. Verùm ego puto, nomen *Clavæ* Alciatum usurpavisse, ut vocem, vulgò *Mazza*, magis latinè proferret.

II. Mihi certius est, extitisse in loco, ubi deinde Sancti Joannis Ecclesia constructa, à sito in ejus olim finibus *JANI QUADRIFRONTIS* Fano, *S. JO. AD QUATUOR FACIES* dicta. Atque illud Fanum, saltem post Maximiani dilatationem intra mœnia Urbis claudebatur, quod ex præscriptis *cap.* I. priscæ Urbis limitibus, exploratum est. Quapropter non est audiendus Jo. Antonius Castilionæus, *Antiq. Vinc. fasc.* I. sic habens, *Jani Fanum juxta veterem mœniorum Urbis circumscriptionem, foris erat ad Novocomensem Portam, ubi nunc Ædes Sancti Joannis &c.* Ille enim cùm primævæ Urbis locum in suam illam, quam adeò magnificavit, Vincentianam regionem, vulgò *Cittadella*, (perperam quidem, ut supra ostendimus) usque retraxerit; profectò si qua deinde Urbis, quam inficiari non poterat, amplificatio admittenda erat; necesse fuit, ut Jani Fanum extra ambitum Urbis, tum collocaret. Verùm, ex dictis *cap. primo*, Castilionæus hallucinatur.

III. De Ecclesia Sancti Joannis ad quatuor facies, quæ nobis, veteris Templi memoriam servavit, mentio est apud Landulphum de Sancto Paullo, ubi agit de Landulpho Badagio, per vim ab Archiepiscopatu Mediolanensi pulso, quanquam omnium ferè suffragiis posceretur, quin Armano Cardinali obsistente, quæsitus deinde ad necem esset: etenim *cap.* I. sic ait. *Hanc insaniam nobilis Landulphus vitavit, & descendens Secretarium Ecclesiæ, ad domesticam suam Ecclesiam, quæ Sancti Joannis ad quatuor facies dicitur, pervenit.* Hæc respondent Anno C. 1097., juxta Doctissimum Saxium, qui item in eum locum Landulphi *Tom.* 5. *Rer. Ital.* sic notat, *idest Ecclesiam, quæ prope Paternam ejus Domum erat.* Fortè etiam

Do-

Domeſtica, quod ære familiæ ſuæ, vel erecta, vel locupletata.

IV. Fanum autem, Minervæ cultui erexiſſe Veteres Mediolanenſes, ab Hiſtoricis noſtris perſpicuum eſt, quin ab exteris etiam, Polybio potiſſimum *lib.* 2., cujus teſtimonium, ſupra retulimus. Quin Alciatus, ejus nobis locum, notis illis verſiculis deſſignavit.

Culta Minerva fuit, nunc eſt ubi numine Thecla
Mutato, Matris Virginis ante Domum.

Fuit itaque ei loco proximum, in quo mirum nunc B. Virginis Templum Urbis Columen, & Archiepiſcopi Sedes aſſurgit: atque illud, intra muros Urbis exiſtebat, ut ex probabilibus conjecturis *Cap. I.* diſſerebamus. Quo autem titulo, Deam hanc celeberrimam priſcis temporibus venerarentur; (Minervæ enim multa addidere Veteres agnomina), dubium eſt. Certè non eam, ut Scientiarum, aut Literarum Potentem colebant; nondum enim mitia hæc ſtudia, iſtas regiones pervaſerant; ſiquidem & Romæ, ſolùm poſt bella Punica, ſaltem uberius coli cœpta ſunt, ut docet Manutius *in quæſit. per epiſt. num. 9.*, afferens pro ſe Horatii carmen illud, *lib. 2. ep. 1.*

Græcia victa ferum Victorem cæpit, & artes,
Intulit agreſti latio; . .

aliudque ejuſdem:

Et poſt Punica bella quietus quærere cæpit;
Quid Sophocles, & Theſbis, & Eſchillus utile ferret.

Doctiſſimus autem Saxius, in ſuo de *Studiis Mediolanenſ. prodr. cap. 1.*, opinatus eſt, eam fortè ſub *MINERVÆ MEMORIS*, ſeu

seu *Victoriæ* nomine, priscos Mediolanenses veneratos esse. Hoc ex Vexillis, immobilibus dictis, quæ in ejus Fano servabant; illud ex Lapidibus quibusdam, in agro Placentino erutis, unde Petrus Victorius Minervam, sub *MEMORIS* nomine, à Gallis Cisalpinis cultam primitus docet. Ego sanè tam Erudito Viro, & cui pro summa illius humanitate, antequam prodiret, integram hanc lucubrationem, amicè communicavi, adversari non ausim. Fortè tamen, si conjecturam sequimur, nullo peculiari, sed simplici tantùm *MINERVÆ* nomine, Deam hanc, vetustos Insubres adoravisse, sibi aliquis persuadebit. Nam, quemadmodum ex erutis apud Placentinos, monumentis, quod in iis *Minervæ memoris* mentio esset, ritè Victorius, apud eos, hoc titulo Deam insignem fuisse, & sacris honoribus celebrem tenet: Ita cùm ex monumentis nostris; iis saltem, quæ superfuerunt; simplex *MINERVÆ* nomen, nullo adjecto agnomine se nobis prodat; ab re non erit, sub eo simplici Nomine, *INSUBREM MINERVAM*, cultam olim suspicari. Certè in Alciati Antiquario M.S., cujus non semel meminimus, quotquot Minervam memorant prisci Lapides, nullum ei cognomen adjiciunt. Tres autem sunt; Urbanus unus, *sub num. 66.*, cujus hæc Inscriptio:

I O V I
I V N O N I
M I N E R V A E
Q. V. G. V. S. L. M

alius, in pervetusto Alciati Oppido repertus, in quo legitur, (est *in Antiq. M.S.* 293.)

M I N E R V A E
V. S. L. M
V I T A L I O
M A X V M I. F

alius

alius pariter Brebiæ superstes, versùs Verbanum lacum, & in eodem *Antiq. M.S. mon.* 147., ita inscriptus

D M
L COELI LF OVF
BARONIS VI VIR
PONTIFICI IIII VIR AP
CVRATORI SALT TIBRONANI
ITEM TEMPLI MINERVAE
ET ALBVCIAE &c.

tandem ille, quem Octavianus Ferrarius, apud Castilionæum, *On. Eccl. di Milano, fol.* 20. sic retulit:

IOVI IVNONI MINERVAE
QV. LICARIVS FESTIVVS
VS LM

Has accipe nugas, Lector, quas tibi bono animo damus, ut probes, improbes pro tua sapientia, dummodo & tu, bona in nos voluntate.

V. In hoc Minervæ Fano, Mediolanenses olim signa quædam, seu vexilla aurea, quæ immobilia dicebant, tanquam rem sacram prorsus, aut fatalem servabant. Sed hæc in dubiis belli rebus adversùs Romanos moverunt, ut Polybii verba, *lib.* 2. apertissimè testantur, quæ *cap.* 1. retulimus; quocirca non vacat hoc loco repetere.

VI. Fanum hoc, abrogato Minervæ cultu, in *D. THECLÆ* Martyris honorem dedicatum esse, communius obtinet. Quo autem tempore; non est proclive, pro certo affirmare. Ea certè, temporibus usque Sancti Ambrosii, extabat Ecclesia, quam ipse *ad Marcell. de trad. Basil.* vocat *Basilicam intramuranam novam, quæ major est*. Eam ego fuisse credam, quæ deinde Sanctæ Mariæ Hyemalis nomine appellata. Tum autem intramurana nova dicebatur, quod hæc non multò

M ante

ante Ambrosium, à fundamentis excitata esset, ad alterius fortè discrimen, ubi *THECLA* colebatur, quod hæc scilicet, & dedicatione, & structura potissimum (quippe priscum Minervæ Fanum) vetustior esset, aut fortè etiam *vetustior* nuncuparetur. Hæc mea est conjectura. Tu in judicando, Lector, mecum agas humaniter. Dicendum tamen, non ante datam à Constantino, & hic quidem Mediolani; Anno C. 313. juxta Norisium, publicam Christianæ religionis exercendæ facultatem, (cùm nullam Christianam Ædem, potissimum in Urbis meditullio fuisse credendum sit), *MINERVAM*, in *THECLAM* migravisse.

VII. Hæc deinde incendium passa, ut credere fas est, ab Attila sævo illo flagello Dei, qui juxta Tristanum nostrum, & Pagium, Anno C. 452., Mediolanum exscindi jussit; quapropter non multò post, à Beato Eusebio instaurata est, teste Sirmundo in Ennodium; quin Ennodio ipso, cujus sequentia carmina, in Theclæ olim Æde legebantur, posita fortasse Anno 453., aut 454.

Prisca redivivis consurgunt culmina Templis,
In formam rediere suam, quæ flamma vorarat.
Reddidit hæc votis Christi, qui Templa novavit.
Eusebii meritis, noxia flamma perit.

VIII. Duo hæc sunt, quæ in Urbe fuisse certum est, Numinum impiorum Fana. Fortè aliud quodpiam extitit, ut *MERCURII*, cujus inditium esse potest vetustus Lapis in Alciati *Antiq. M. S. mon.* 129., atque hic quidem Urbanus, (mitto enim plura, quæ in agro Mediolanensi extant, hujus Numinis monumenta), & hæc verba prodens:

MERCVRIO SACRVM
L. SATRIVS AMARANTI
L. AMARANTVS. V. S.

aut

aut etiam Apollinis intramuranum alterum, præter illud extra Urbem positum, de quo capite superiori. Illi enim affabre sculptam memoriam, idem *M. S. mon.* 84. nobis testatur:

L. ARVLENVS
ANOPTES
APOLLINI.

Cui pariter Deo, alios Lapides inscriptos oppida nonnulla, quæ Mediolanum circumstant, identidem protulere. Fortassis & suas Ædes Diana à Mediolanensibus retulit, cujus inditium est, ansata quædam Ara, olim ad D. Radegundæ Fanum reperta, cum hoc Epigrammate apud Alciat *M. S. mon.* 120.

DIANAE
ALBVCIA
VALERIA
SACRVM
D D

Quin & Cibeles mihi creditur olim à Mediolanensibus culta, ex fragmento quodam marmoreæ Inscriptionis, à me deprehensæ in una Scalarum, per quas, in Æde Laurentii, ad Porticum superiorem ascenditur, quæ ibidem gradus partem supplet, & in qua egregiis characteribus hæc etsi mutila, apertè leguntur.

RO. COS. IN. A
TRIS. DEVM. CV

Certè τὸ TRIS DEVM: *Matris Deum* significat, nobisque aliquo inditio est, ejus fortasse cultus in hac Urbe vigentis.

CAPUT VIII.

De Palatio Imperatorum.

I. NUminibus proximi Reges esse censentur, sed iis accessere potissimum Romani Imperatores, quibus & Numinum appellationes, & Divini non semel honores tributi. Post Ædes Numinum, ad Imperatorum Palatia descendimus. Quæ quidem plura in hac Urbe fuisse, pro temporum varietate, nemini dubium est, præsertim cùm Ausonius, in suo Epigrammate de Mediolano, plurali numero usus, non unum, sed plura Palatia fortè recensuerit; inquiens:

Templa, *PALATINÆQUE Arces*, *opulensque moneta*.

II. Primum, in Urbe fuisse credam Palatium Imperatorium, quod Octavius Augustus incoluit, cum rerum ipse potitus, Pannonici belli caussa, Mediolanum divertit. Atque illud, è Svetonio celeberrimum est, quod in hac quidem Urbe accidit; scilicet de M. Bruti Statua, de qua *in Appendice* distinctius agendum est

III. Nerva quoque, si Flammam *in Manip. flor. cap.* 25. audiamus, Mediolani non commoratus modo, sed *in medio Civitatis Palatium Imperiale maximum, quod fuit inter omnia alia Palatia eximium, & magis altum ædificavit*, & *cap.* 31. = *Nerva primus in Mediolano Imperialem sedem transtulit*. (Hoc nullam fidem mereri Eruditi consentiunt), *hac de caussa motus, quia &c.*, addit plurimas Mediolani laudes, quæ ad rem præsentem non quadrant, tum concludit: *unde in medio Civitatis eximium Augustorum Palatium collocari sibi, cum Thermis, idest balneis calidis jussit, quæ Thermæ Nervianæ dictæ sunt*. De Thermis infra agemus.

IV.

IV. Quod fortè majorem fidem meretur, illud est, quod passim omnes tradunt etiam melioris notæ Mediolanenses Historici; Trajanum scilicet, in hac Urbe, nobilissimum sibi Palatium struxisse, uno Calcho adversante, *libro primo, Hist. Pat. pag.* 17., propterea quod *nec id apud Latinorum quenquam idoneum Scriptorem legitur, nec ipse in vita Imperatoris, quam ex Dione Græco-Latinam,* (Merula) *fecit, meminit.* Verùm huic, quod negativum argumentum est, non omnino fidendum. Certè hic Mediolanensium omnium consensus, non contemnendus. Adest quoque locus Landulphi Senioris, quem infra discutiemus, unde res in aperto esse videtur, pro Palatio Trajani. Alia esse potest qualiscunque conjectura, quòd Trajano Divis post obitum ascripto, Flaminem Trajani Mediolani extitisse Bergomensis Lapis prodit; quod acceptorum certè beneficiorum à Mediolanensibus, aut fortè etiam, veteris cum Trajano contubernii, argumentum dici posset. Lapidem lege apud Tristanum, *lib.* 1. *pag.* 19.

V. Ac ea quidem regio ubi nunc *ECCLESIA S. GEORGII AD PALATIUM* communius illi attribuitur; quanquam Alciatus, aliunde prorsus eam appellationem trahi putet, *lib.* 2. *Rei Pat.*, ita differens: *Cùm quandoque Mediolanum venisset,* (Trajanus), *mira magnificentia Palatium construxisse, auctores nostri prodiderunt: eamque opinionem secutus est elegantissimus Merula, nihilo diligentior, ut video, hac in re aliis. Conjectura præsertim hac movetur, quod hodie extet D. Georgii Fanum, quod in Palatio nuncupatur, extitisseque aliquando illic Trajani Palatinas Ædes ex eo existimant, argumento certè futili. Fuit eo in loco Luchini Vicecomitis Palatium, conspiciunturque adhuc fundamenta, murique aliqua pars; Ab hoc sumpsisse cognomen delubrum illud potius crediderim.* Verùm etsi Alciati eruditionem mirer in omnibus; in hoc tamen satis desidero. Ea enim appellatio *AD PALATIUM*, quæ *D. GEORGII* Templo attributa, certè ab alio vetustiori, quàm Luchini Palatio, desumpta est. Luchinus enim, Anno 1339., Dominationem Mediolani acce-

accepit, & Anno 1349., mense Januario, diem clausit. Multò autem ante hæc tempora, non modò Ecclesia *D. GEORGII*, ibidem sita erat; verùm etiam *D. GEORGII AD PALATIUM* nuncupabatur. In promptu est Processus confectus Anno 1289. apud Puricellum, *Diss. Naz. cap.* 112. *num.* 11., ubi testis quidam, Decumanorum numerum recensens; *duodecim*, (sunt Testis verba) *in Ecclesia S. GEORGII IN PALATIO*, esse profitetur. Anno 1123., in sententia lata circa lites quasdam Canonicorum, & Monachorum Sancti Ambrosii; apud Puricell.*mon. Amb. num.* 336. inter Judices Delegatos connumeratur: *Lantherius Presbyter, ac Præpositus Ecclesiæ S. GEORGII, QUÆ DICITUR IN PALATIO*. Præterea adest Testamentum Theusprandi cujusdam, apud eundem Puricellum, *mon. Amb. num.* 244., cujus hæc est particula. *In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi Millesimo quadragesimo tertio, mense Aprilis, Indictione undecima. Theusprandus Presbyter de Ordine Decumanorum, Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, Offitialis Ecclesiæ S. GEORGII, constructæ intra Civitatem Mediolani, ad locum, ubi PALATIO dicitur.* In Kalendario item antiquissimo membranaceo, quod primò evulgatum est *Tom.* 1. *Rer. Ital. parte* 2., in quo multa ad Historiam pertinentia notata sunt, quæ tamen Annum 1275. non excedunt, præter unum, quod recenti charactere in margine notatum, ad Annum 1295. usque pertingit; duo hæc scripta reperimus: *Januarii* ⊏ XVIII. *Kal. MCXXIX. consecrata est Ecclesia S. GEORGII IN PALATIO, & obiit Gibuinus Ecclesiæ ejusdem Præpositus, & Primicerius Mediolanensis*. Et ad calcem. *Decembris VII. Id. MCCLXXV. obiit Dominus . . . . de Terziago Ordinarius Mediolanensis Ecclesiæ, Præpositus Ecclesiæ S. GEORGII IN PALATIO, qui judicavit argentum* . . . . (Hic, Lector, internota, scilicet, non indignam animadversione rem: *Guibuinum Præpositum Ecclesiæ Sancti Georgii ad Palatium, & unà Primicerium Mediolanensem, ac Dominum de Terziago Ordinarium simul*

Me-

Metropolitanum, & Sancti Georgii ad Palatium, Præpositum.) Satis hæc, & ad satietatem manifestant, quam illud cognomen *ad Palatium*, seu *in Palatio*, Georgianæ Ædi, ante Luchinum inditum esset; quod sanè vetustius aliud Palatium, aut ibidem, aut prope situm ostendunt. Hoc autem, Trajani fuisse communius obtinet. Nec ego improbaverim. Atq; illud fortè, idem est, quod Ambrosio Mediolanensem Ecclesiam regente extabat; propterea, ut ille *Sermon. de trad. Basil.* ita scripserit. *Ego ipse non quotidie vel visitandi gratia prodibam, vel pergebam ad Martyres? Non Regiam Palatii prætexebam,* (verbum nauticum: scilicet pertransibam) *eundo, & redeundo?* Puricellus quidem *Diss. Naz. cap.* 47. pro sibi persuaso affirmat in eo, ubi nunc D. Georgii Ædes, Palatio, tum habitavisse Theodosium, quando inde ad Ecclesiam accedens, ab illius ingressu, Ambrosio prohibente, temperavit. Tenet enim à Majori Ecclesia pulsum fuisse, quæ in Urbe erat ex ipso Ambrosio, & præterea, ex Theodoreto, *Hist. Eccl. lib.* 5. *cap.* 17., docet inter Palatium Imperatoris, & eam, à qua prohibitus est Basilicam, Forum fuisse interjectum. Hinc Jo. Antonii Castilionæi opinio *in Antiq. Vinc. fasc.* 5. exploditur, qui ad suam Vincentianam Ædem, *TRAJANUM ILLUD PALATIUM* traxit, ut Bonaventuram fratrem tueretur, credo. Nam, si rationi attendimus, incongruum est, ex inventa quadam basi prægrandi, ac duobus aliis Lapidibus bene sculptis, statim Vincentianæ illi vineæ, Palatium vindicare.

VI. At enim: quousque eo in loco Palatium mansit? Res hæc paullò est altioris indaginis. Certè ex Landulphi Senioris loco *lib.* 2. *cap.* 16. tempore Valperti Archiepiscopi Mediolanensis, qui ex Otthone Frisingensi *lib.* 6. *cap.* 21., Anno 960., Legatus ad Otthonem missus est, extitisse adhuc videtur in Urbe, Trajani non modò, sed etiam Maximiani Palatium; nam alterutrum ex his, Adelbertus Berengarii Filius, sibi intra Urbem parari jussisse, multis narrat ille, quem modò

modò audire vacat, & paullo attentius examinare: Sic inquit. *Cùm Mediolanum venisset* (Adelbertus), *Palatium Maximiani, quod situm est infra mœnia Urbis, vel Trajani, juxta Thermas Sancti Georgii*. (De Thermis infra distinctè agemus), *locatum, velociter præparari præcepit, ignorans, ut ipse postea simulabat, quòd nullus Rex à tempore D. Ambrosii, cujus præsidiis Civitas Mediolanensis supra omnes Italiæ Urbes ab ingressu Imperatoris; libertatem adquisivit, Urbem hanc introivisset &c.* Pergit narrans, hac postulatione perturbatos Cives fuisse, deinde sequitur. *Quid multa? Deo annuente, & Beato Ambrosio interpellante, ingressus sibi omnino prohibitus est. Tandem Populi videns voluntatem, & aliquantulum se lætum simulans, & quasi parum hoc pauci pendisset, tenens sub pectore vulnus plusquam quisquam esset ratus, ad Palatium Ambrosianum, haud longe ab Ecclesia ejusdem, hospitatus sedit*.

VII. Hujus textus discutiendi caussa, certa à dubiis separo. Ac primum de Privilegio, quo ab ingressu Imperatoris Civitas eximeretur, non dubito. Illud concessum à Theodosio Juniore, (non D. quidem Ambrosio, ut alii sentiunt), tradit Saxius *in vindic. SS. Gervasii, & Protasii pag.* 168. Idem Privilegium, concessum quoque aliis Urbibus, Veronensi potissimum, & Lucensi legisse se testatur, qui Notas in Landulphum scripsit *Tom. 4. Rer. Ital. pag.* 78., disertus Vir Horatius Blancus. Quin Puricellus, *Diss. Naz. cap.* 47. *num.* 3., de Lucensibus, hoc ipsum testimonium affert, ex Ptholæmeo Lucensi *in Annal.* = *Anno Millesimo octuagesimo primo, ut habetur in Registro Lucensis Communitatis, Henricus Imperator concessit Lucensibus Privilegium de muris veteribus non destruendis; Item de Regali Palatio non ædificando in Civitate, nec de Castro construendo Imperiali intra sex milliaria*. Fuisse pariter extra Urbem, & ad D. Ambrosium, Palatium aliud infra constabit. Primum autem dubitari potest, de existentia *MAXIMIANI PALATII* ista tempestate. Nam *in monum. Ambros. Basil.*, apud Puricellum *num.* 131., jam illud ex Diplomate

Caro-

Caroli Craſſi donatum fuerat, Anno uſque 880., Monaſterio Sancti Ambroſii per hæc verba: *Et dono ſimiliter PALATIUM, quod dicitur Maximiani &c.* Fortè enim in aliquem Monaſterii uſum ceſſerat, & certè in Civium poteſtate amplius non erat, quibus illud parare juberet. De *TRAJANI* quoque *PALATIO* res adhuc anceps. Nam, ſi meum à Baſilica Petri percunctemur, Eccleſia Sancti Georgii, quæ *à Palatio* nomen traxit, ibidem Anno 749., erecta eſt. Certè Sanctum Natalem Archiepiſcopum, illius Auctorem omnes produnt Hiſtoriæ noſtræ; qui quidem circa ea tempora vivebat, & ibidem, poſt mortem tumulatus eſt. Cùm igitur ea Eccleſia, *in Palatio* potiſſimum nuncupetur, ut ex ſuperioribus teſtimoniis liquet, videtur iccirco dicta, quod in veſtigiis antiqui Palatii, eam Beatus Natalis excitaviſſet. Hæ ſunt rationes dubitandi. Ceterum ſi Landulphum tueri aliquis fortè nitatur, ſuſpicabitur *PALATIUM* illud *MAXIMIANI*, etſi Monachis donatum, adhuc ſuperfuiſſe: item Eccleſiam Sancti Georgii, non in veſtigiis, ſed in vicinia *TRAJANI PALATII* fuiſſe collocatam, unde cognomen deduxerit. Aut demum ſi quis nodum facile ſolvi poſſe confidat; ita dirimet dubitationem. Affirmabit Privilegium illud à Theodoſio conceſſum fuiſſe Mediolanenſibus, ne poſteaquam novum Palatium extra muros ad Sanctum Ambroſium publico ſumptu conſtruxerant; alia, quæ jam in Urbe labi cœpiſſent, aut temporis injurias graviter ferrent Palatia, novo ipſi ſumptu, & pro aliorum Imperatorum arbitrio, inſtaurare, aut fortè aliquando excitare iterum cogerentur: Et ob hanc potiſſimum cauſſam, reſtitiſſe Cives Adelberto poſtulanti, ne aut Maximiani, quod fortè ſemidirutum, & iccirco jam dono Monachis datum, aut Trajani Palatium, cujus in veſtigiis, aliqua tantùm parte ſuperſtite, illa jam D. Georgii Ædes conſtructa, ingenti ſumptu inſtaurari non modò; ſed à fundamentis prope erigi, magno æris publici detrimento, oporteret. Hæc alius quiſpiam afferet me ingenioſior. Ego ma-

N lim

lim rem hanc ante Judicem ſiſtere, quam, ubi certa ad affirmandum, aut negandum teſtimonia deſunt, quidquam meo arbitrio, judicare. Idem, de quo hucuſque diſſerebamus, habet Flamma *Manip. flor. cap* 131., ſed illud, quoniam à Landulpho mutuatum, non vacat rurſus examinare.

VIII. Ex his, quæ de *Trajani Palatio* Mediolani conſtituto diſſerebamus, facilè argumentari licet, eos qui Mediolanum, aliquando divertiſſe feruntur Imperatores, per ea tempora, quæ à Trajani, ad Maximiani imperium fluxerunt, idem illud à Trajano erectum Palatium incoluiſſe. Ac Maximianus quidem, non Mediolani modò commoratus, ſed novum, egregiumque ſtruxiſſe Palatium, pro indubio fertur. Inditio eſt illa, quam ſupra probavimus, Urbis amplificatio. Quapropter ſi multò præclariorem Civibus ſtructuram Urbis parare conſtituit; videtur profectò multò magis, Domicilii ſui, cum ſtructuræ, tum magnificentiæ ſtuduiſſe: quod ſi Mediolanenſis Patria fuit, ut nonnulli opinati ſunt, illud multò probabilius. Sed rem certius evincit Caroli Craſſi Diploma ſuperius notatum, ubi *MAXIMIANI PALATII* mentio, nimis perſpicua. Idem, textus Landulphi diſcuſſus, alicui confirmabit, aut certè Scriptorum omnium Mediolanenſium, concors in hanc ſententiam conſenſus.

IX. De re igitur nulla eſt dubitatio: de loco non levis quæſtio. Multi ad Thermas Herculeas, ſeu ad Fanum Herculeum, ſcilicet ubi nunc D. Laurentium colimus, collocaverunt, ut Alciatus potiſſimum *Rei Pat. lib.* 4. *pag.* 199. Alii in Urbe, ut Landulphus, & Flamma mox citati. Puricellus *Diſs. Naz. cap.* 47. *num.* 4., non in Urbe, ſed in agro Mediolanenſi poſuit, ea verba interpretatus Diplomatis Caroli Craſſi: *Et dono ſimiliter Palatium, quod dicitur Maximiani cum tota terra, ex una parte jacente, & cum duabus Turribus*: putans videlicet, non procul ab Oppidis, vulgò *Inzago*, & *Caſterno*, ſitum fuiſſe, quod ſibi videtur erui, ex rerum, quæ ibi recenſentur contextu. Primæ opinioni non hæreo; tum quia Auſonius

nius regionis quidem meminit *celebris sub honore Lavacri*, non autem Palatii *Herculei*, ac de Palatiis tanquam omnibus ad alias regiones, pertinentibus, distinctè egit; tum maximè, quia Maximiani Palatium ex toties memorato Diplomate, in potestatem Ambrosiani Monasterii venisse accepimus, cujus Monasterii tamen, quantum ego scio, in Laurentianam illam regionem, nullum dominium est. Opinio Puricelli, contextui Diplomatis nixa, ruere videtur. Quippe contextus nulla prorsus ratio haberi potest, quando in eodem nullus omnino Ordo servatur, nec ulla series Geographica locorum, quæ ibidem recensentur, ut luce ipsa clarius est legenti illud Diploma, apud eundem Puricell. *Mon. Amb. num.* 131. Atque illud in Mediolanensi Historia inauditum, ex qua cùm multa constent in Urbe ipsa à Maximiano peracta, non video, cur Regiæ istæ Ædes celeberrimæ, in agrum sint ablegandæ. Sequor igitur, quod ad hanc partem attinet Landulphi, & Flammæ opinionem. In qua autem Urbis parte structum fuerit, non ego facilè circumscripsero. Ad Circum fuisse nonnulla, quæ infra *cap.* 9 afferenda sunt, persuadere videntur, si tamen satis firma esse, Eruditi judicaverint.

X. In hoc itaque Palatio, congressum illum Mediolanensem Diocletiani, ac Maximiani contigisse credo, Anno C. 291., ut Norisius *in Diss. de num. Medic. cap.* 4 me docuit; & cujus mentio apud Mamertinum *in Genethl. Maximia.* In hoc, iidem Imperatores ingressi Urbem, maximo honore ab iis adorati, qui ex ordine dignitatis admissi fuerunt, ut idem testatur Mamertinus. In hoc demum, nisi fallimur, Maximianus Imperium abdicavit: Mediolani enim, cessisse Imperio, omnes produnt Historiæ. In iisdem Maximianis Ædibus habitavisse Constantinum, Alciatus Auctor est *lib.* 4. *Rei. Pat.*, quapropter, (neque enim id improbo) ibidem, & cum Licinio Constantiæ nuptias splendidissimè celebravit, & quod ad clarissimam vertit Palatii illius, immortalitatem, Christianæ Religionis ubique profitendæ, facultas concessa publicè

edicto, dato *Mediolani IV. Idus Martias Constantino III., & Licinio III. Coss. A.* 313. Verùm ad aliud, (si tamen unum est), quod ad Sanctum Ambrosium extitit, Palatium descendamus.

XI. Aliquod certè Palatium ad Sanctum Ambrosium collocatum fuisse, Chronicon *Flos florum* nos docet manifestè per hæc verba: *Extra Civitatem veterem, juxta Ecclesiam Sancti Ambrosii ædificatum fuit Palatium permaximum, ubi Imperatores habitabant tempore Coronationis suæ, qui Civitatem Mediolani propter reverentiam Privilegiorum intrare nolebant*. Fortassis istud constructum est, paullo post collatum à Theodosio Privilegium, de quo supra *num. 6.*, propterea ut Imperatores, deinceps ab Urbe abstinerent, nisi vetustius aliud, ex iis, quæ infra *num. 12.*, ibidem antea extabat. Alia Ambrosiani Palatii mentio est, in eo supra citato Caroli Crassi Diplomate, per hæc verba: *Et dono similiter Ecclesiam unam, quæ nominatur Sanctus Michaël, non longè à PALATIO nostro*, ac deinde: *Et offero eidem Monasterio totam Curtem PALATII JUXTA SANCTUM AMBROSIUM*. Ecclesia Sancti Michaëlis, de qua meminit Diploma, à Puricello ea creditur esse, quam modò Sancti Michaëlis *sul Dosso*, vulgò appellamus.

XII. Quocirca inquiri modò oportebit, in quo signatè loco, ad Sanctum Ambrosium surgeret, Palatii hujus structura. Audiamus Puricellum *Mon. Amb. num.* 132., ita argumentatum. *Nobis profectò illud* (Palatium) *non alibi situm fuisse videtur, quam ubi vetus, & Turris, & adhærens Domus è firmis, ac bene latis constructa parietibus adhuc conspicitur, inter Ecclesiam Sancti Michaëlis, & Hospitale Sancti Ambrosii, quibus fermè intersita ex æquo est Domus illa, & Turris*. Hæc ille: qui tamen *Diss. Naz. cap.* 107. *num. 6.*, eam Turrim, non vestigium aliquod prisci Palatii, sed munimentum veteris *Pusterlæ* Sancti Ambrosii, ibidem antea patentis, & Anno 1550. ad eum, ubi nunc extat, locum retractæ, fusius, & ut ego puto, multò verius, probavit. Quod cùm ita sit, alium quempiam

piam


Palatii Imperatorij ad Divũ Ambrosium olim extantis
Vestigium

piam percunctari fas est, unde lux aliqua ad nos veritatis pertingat. Carolus meus à Basilica Petri, aliud prodit *in Hist. Mediol. de Sancto Cajo*, ubi locum Ambrosianæ Basilicæ describens: *Fama verò est*, inquit, *quòd loci sanctitatem magis commendat, aliorum Imperatorum temporibus, qui Christianos sunt persecuti, circa eundem locum Martyres solitos excruciari. Certè ibi fuit Palatium Imperatoris, quod postea Canonicis donatum esse scribitur, & in authenticis monumentis habetur, quæ in Ecclesia Ambrosiana asservantur*; (si ea monumenta, sunt fortassis Diploma Conradi, superiore Anno à Nicolao Sormano Ambrosianæ Bibliothecæ Doctore, promulgatum *in sua Dissertatione de præem. inter Præp. Sancti Ambrosii, & Ordin. Metropol. Eccl. cap.* 11., ubi de Palatii Regii donatione mentio est; Monachis relinquo discutiendum, num verè authentica sint; audio enim, de eo quosdam dubitare.) *Cujus Palatii vestigium adhuc extat, marmorea scilicet Columna, quæ ad sinistram Ecclesiæ partem foris posita est.* Columnæ illius imaginem, quæ vestigium est Antiquitatis non contemnendum, hic habes, Lector.

XIII. Si hoc verum est, Palatium figendum videtur, ubi nunc Ædes Canonicorum, ut certè Tristanus, *Hist. Pat. lib. 6. pag.* 118. expressè nos docet. Ac mihi, cùm de Palatio inquirimus, inditii loco, *COLUMNA* illa potius erit, quam ea Turris, (de qua supra ex Puricello) certissimum, non Palatii, sed veteris *Pusterlæ* vestigium. Verùm, illud obstare videtur, quod idem Puricellus *Mon. Amb. num.* 132. contra Caroli mei supra relati opinionem, ita disseruit: *Quod verò marmorea illa Columna separatim erecta monstrabatur, tanquam Palatii, quod illic antiquitus extaret vestigium: ne id quidem à nobis admitti patiuntur ea, quæ n.* 102. *commemoravimus: quemadmodum scilicet in Coronatione Imperatoris, & Italiæ Regis, ea Columna usui esset. In hunc igitur potius usum, eam illic ex industria collocatam opinamur.* Eo autem *n.* 102. citato, describens ritum, quo Imperator in Regem Italiæ coronaretur, pro

quo

quo etiam citat Flammam *Chron. Maj. cap.* 167., hæc ex *Chron. Flos flor.* expressè adducit. *Quando Rex Romanorum vult accipere Coronam Regni Italici in Ecclesia Sancti Ambrosii, Imperator primò debet ire, juxta Columnam marmoream, quæ est extra Ecclesiam Sancti Ambrosii, & unus ex Comitibus Angleriæ, &c.* (sequuntur nonnulla, quæ ad rem nostram non pertinent, deinde subdit). *Quo facto, Imperator debet Columnam illam rectam marmoream amplexari in signum, quod in ipso erit justitia recta. Tunc Comes Angleriæ debet præsentare Christum in Cruce fixum Imperatori &c. &c. Imperator debet sequi, & cùm venerit ad introitum Chori in dextra, ubi est imago Herculis tenentis Leonem per caudam, Imperator debet osculari pedes ilius imaginis, propter reverentiam ad Reges Angleriæ, qui portabant illam imaginem in vexillo.* Et *in Diss. Nazar. cap.* 133 *num.* 4., supplicem quendam libellum affert datum Ludovico XII. Francorum Regi, Anno 1507., ex quo alius quidam mos constat; Prætores nempe, cum Mediolanensem Præturam inirent, eam Columnam adire solitos, pro qua item è loco movenda, tanquam de religiosa re aliqua, ibidem à Rege facultas postulatur. Affero verba quædam supplicis Libelli: *Sed commodè construi Domus non potest*, (scilicet Canonici cujusdam), *nisi spatium illud comprændatur, in quo est Columna, quæ à Mediolani Prætore adiri solet eo die, quo Præturam init*, & infra: *Suppliciter à Majestate vestra petunt, ut eis concedere dignetur; vel Columnam ex eo loco tollere, in quo præter loci ignobilitatem parùm honestè aditur, & eam ante frontem Templi erigere, vel intra Ædes, quæ condendæ erunt, amplecti, relictis foribus, quibus in necessitatis tempore, eam Prætor adire possit. Ita & publico offitio, & privatæ Canonicorum necessitati satisfiet.* Hinc certè non levis gignitur difficultas. Nam si iste ad eam Columnam ritus peragebatur, si præterea ex testimonio superius allato, Imperatores in Palatio ad Sanctum Ambrosium, *habitabant tempore Coronationis suæ*: quo pacto ea Columna vestigium disjecti Palatii est, si tum in extante adhuc Pa-

latio,

latio, Imperatores commorabantur? In bivio sumus.

XIV. Ego meas opinationes, Lector, tibi subjicio. Primo autem, ritus ille coronandorum Regum, infringi posse videtur, quippe fabulis scatens undique. Ridendi sunt enim, Angleriæ illi Reges, de quibus ibidem mentio: Ridendus ille deosculandi Sepulchri ritus ab Imperatore. Fabulæ sunt, ut fusè Doctiss. *Saxius in vindic. SS. Gervasii, & Protasii num.* 105., *& seq.* comprobat. Neque ille erat Herculis figura, ut nos ipsi supra disputavimus *cap.* 5., neque illud Sepulchrum Regum Angleriæ, qui nunquam extiterunt. Præterea, cùm apud Landulphum Sen *lib.* 2. *cap.* 16., descriptionem habeamus Coronationis Otthonis Imperatoris Mediolani peractæ, Anno 961., cujus quidem ritum, diligenter expressit, in quo nulla Columnæ, nulla Comitum Angleriæ mentio; unum superest, ut eam Columnæ cœremoniam, Vetulis credendam, aut pueris amandemus. Maximè autem, quod in Liturgia fermè ante sexcentos annos in Mediolanensi Henrici Coronatione usurpata: ex M.S. Codice descripta à Muratorio, & *Tom.* 2. *Anecdot.* evulgata, ubi singulæ in eadem usitatæ cœremoniæ distinctissimè habentur, nil prorsus de illa Columna reperiatur. Quod de Prætoribus ex supplici libello constat, id ultro concesserim. Verùm ne illud quidem dissimulabo, mihi scilicet minimè persuasum esse, quod Puricellus affirmavit: ibidem eam Columnam, *ex industria*, ritus caussa, fuisse aliquando collocatam. Nam si illud est; quid quæso non ante ipsam Ecclesiæ faciem, non in atrio, non alio magis edito, atque honesto loco fuerat statuenda? Cur extra omnem ambitum loci posita, cur ad latus peristyli, adeò parum à muro discreta, sola, sine ornamento, remoto ad Ecclesiam venientibus loco, & qui nisi revertendo, è Templo prodeuntibus, adiri queat, nulla loci, nulla offitii proportione, ratione, aut honestate servata? Profectò mihi ipsi nimis stupidus fuerim, si huic facilè addixero commentationi. Quid igitur? Hanc ego viam inibo, Caroli mei eruditissimi caussa.

XV.

XV. Duo ego crediderim extitiſſe olim ad D. Ambroſium Palatia Imperatorum. Aliud vetuſtius, cujus ea Columna veſtigium eſt; Aliud paullo recentius, ubi Imperatores, pro Coronationis oportunitate commorarentur, vel cùm Mediolanum venientes, ab Urbis ingreſſu, juxta memoratum ſuperius Privilegium, abſtinerent. Quo pacto, (ablegata tamen ea *ritus ad Columnam* fabula) & Puricellus, & Carolus meus, videntur invicem conciliari. Et quando jam Palatii Imperatorii tum Monaci, tum Canonici, ſibi donationem vindicat: ſic aliquis quæſtionem dirimet. Priſcum illud, ſive ejus locum, & aliquod manens veſtigium Canonicis; Recentius verò, Monacis tributum eſſe affirmabit. Verùm hæc pacis gratia magis, quàm veritatis dicta, nemo non videt. Altius enim, & multò longiori, quam per tempus vacet inquiſitione, Diplomata in medium vocanda, & diligentiſſimè diſcutienda eſſent, quod noſtri non eſt inſtituti. Profectò conjecturam hanc de duplici Palatio Diploma illud Caroli Craſſi, excitare poteſt, cujus verborum iſte contextus. *Et domo ſimiliter Eccleſiam unam, quæ nominatur Sanctus Michaël non longè à Palatio noſtro, & terram juxta ipſam Eccleſiam ad ædificandum Hoſpitale, ad recipiendum pauperes. Et offero eidem Monaſterio totam Curtem Palatii juxta Sanctum Ambroſium*. En ut hic duo recenſeri Palatia videantur; nempe Palatium, quod Carolus Imperator *NOSTRUM* vocat, (fortè recentius); & Palatium, quod in eodem contextu, *JUXTA SANCTUM AMBROSIUM*, nuncupatur, & hoc fortè antiquius. Idem Puricellus *Mon. Amb. num.* 132., poſteaquam Caroli mei opinionem diſcuſſit, ita demum adjungit. *Quocirca, ſi quod Regium, Imperatoriumve Palatium prope Baſilicam iſtam ſitum, Canonicis revera donatum aliquando fuit; hoc utique interim diverſum exiſtimamus ab eo, quod in ſuperiori Caroli Regis Privilegio, & duobus illis Chronicis* (Flammæ, & Flos florum) *deſcribebatur*. Ecce, ut quæ animum noſtrum, Puricellum item ſuſpicio, percellit. Ac demum, (quoniam de Ambroſiani Palatii ſitu ini-

initio quærebamus), nisi inanes sunt hæ conjecturæ, jam vides, Lector, vetustioris Palatii locum, Columnam illam manifestè designare, alterius recentioris nihil superesse, quod locum indicet, nisi divinando affirmemus. Præter has imperatorum Ædes aliæ *fortassis* Mediolani extiterunt, sed quoniam illæ, aut minus celebres, aut minus notæ sunt nobis, hic nostram de Palatiis sistimus qualemcunque discussionem.

CAPUT IX.

De Theatro.

I. THeatrum Mediolanense, præter carmen Ausonii, ac vetus Ecclesia, quæ *S. VICTORIS AD THEATRUM*, vel nunc à prisco Theatro nuncupatur, produnt nostrates Historiæ, ex quibus in Vercellensis Portæ regione statutum accepimus. Fuisse illud, ubi nunc Monasterium Majus apud Gaudentium Merulam, & Bossium legi. Atque isthic extitisse & ego opinabar, cùm à Puricello accepissem in eo Conclavi veterem quendam arcum, & columnam sub Turri, quæ ad campani æris usum inservit, reperiri, quod hæc Theatri vestigia credebam. Verùm posteaquam præclarum illud, ac celeberrimum Monasterium ingredi, mihi ob hoc ipsum Superiorum facultate concessum est, depræhendi & arcum, & columnam, & quadratam eam ingentem Turrim, non Theatri quidem, sed Circi potius, aut alterius incerti Ædificii partem fuisse, cujus formam hoc loco promulgamus; propterea excludendum censeo ab iis finibus Theatri locum, tum quod D. Victoris Fanum *à Theatro* dictum nimis videtur inde remotius, tum quod anno 1119., certè ibidem ubi nunc, Monasterium Majus extabat, ac *THEATRUM* quoque, ut infra dicemus, adhuc supererat.

II. De Auctore discrepant Scriptores. Multi illud Maximiano tribuunt, (fortè probabilius). Corius, & cum eo nonnulli, Gabinio cuidam Viro Consulari, misso à Romanis ob hoc ipsum, ut Mediolanum nobilibus Ædificiis honestaret. Bossius *in Chron.* M. illi Marcello Romano Consuli affigit, de quo superius sæpe dictum est. Sed hanc Bossii opinionem non probabunt ii, quibus Ausonium legentibus, *Lud. VII. Sapient. in Prolog.*, pronum est intelligere quo pacto

Ædilis olim scenam tabulatam dabat
Subito, excitata nulla mole saxea:
Muræna sic, & Gallius, (nota eloquar)
Postquam potentes, nec verentes sumptum, No-

Vetusti, in Monasterio Maiori extantis, incerti tamen Aedificii Vestigium



Nomen perenne crediderunt, si semel
Constructa moles saxeo fundamine
In omne tempus conderet ludis locum,
Cuneata crevit hæc Theatri immanitas.
Pompejus hanc, & Balbus, & Cæsar dedit
Octavianus, concertantes sumptibus.

Certè Pompejus Magnus, auctore Cornelio Tacito *in Ann. l. 14. cap. 20.*, primum stabile Theatrum ex lapide, Romæ construxit, quod omnes tenent Eruditi, ac propterea non videtur tam facilè admitti posse, Marcellum usque, Theatrum hoc, de quo agimus, condidisse, quod quidem lapideum fuit, ut omnes intelligunt in Mediolanensi historia versati.

III. Quod ad formam attinet, primo tenendum est, non rotundam, sed semicircularem habuisse, quæ erat omnium veterum Theatrorum forma, & ab Amphiteatris, ex doctissimo Scipione Maffejo *degli Anfit.*, potissima differentia. Quapropter effutit Salvator Vitalis *in cæmentis Theat. Mediol.* distorquens Ausonii carmen, & perperam de Amphiteatro interpretatus. Illud enim oppositum evincit. Habet siquidem:

Circus, & inclusi moles cuneata Theatri.

Cunei autem in Theatro sunt ea pars, ubi prope scenam gradus desinunt, quæ cùm scissorii cunei figuram quandam referat; idcirco eo nomine à Veteribus appellata. Quod si inclusum Theatrum dicitur, propterea est, quod à scena clauderetur, aut fortè, quod Urbis muro ibidem ex industria protracto includeretur, de quo aliquid innuimus *cap. 2.* Præterea, si Jo. Antonio Castilionæo fidem adhibemus, fuerunt in eo Urbium Galliæ Cisalpinæ Simulacra insculpta ornatus caussa; nam ita *Antiq. Vinc. fasc. 7.* testatus est. *Fuerunt in illo scilicet* (Theatro), *uti me non rarò observasse me-*

 mini

mini, (utinam proderet apud quosnam Scriptores) *inter cetera illius decora*, *Statuæ Urbium Galliæ Cisalpinæ*, *quæ vel in Caryatidum modum*, *Theatri coronas*, *ac mutilos exornabant*, *quemadmodum apud Latinos passim*, *& Græcos usus illorum temporum obtinebat*, *Vitruvio teste*, *lib. Architec.* 1., *vel certè cujuspiam*, *& peculiaris signi locum habebant*, *ad quod Urbis Cives*, *& Populares omnes confluerent*. Inter Statua Urbium ad Theatrum olim pertinentes, eam recenset, quondam supra arcum Pontis Fabrorum, vel Fabiorum positam, quam Hymenæi esse judicabant, nunc ex eo loco sublatam. Quam quidem, (si exacta est, quam Castilionæus præbet, illius imago) Urbem aliquam, non autem Hymenæum significare, & ego facilè affirmaverim. An verò in Theatro posita esset, non disputabo. De hac ipsa in Appendice aliud quidpiam est afferendum.

IV. Ante Theatrum in stabulo delituisse Sanctum Victorem, cùm ductus ad Portam Vercellensem, oblata occasione, è Satellitum manibus evasit, lego apud Carolum à Basilica Petri *in Vita Sancti Materni*; atque in eo prope Theatrum loco ea deinde in honorem Sancti Victoris Ædes constructa, de cujus erectionis tempore infra aliquid agemus. In Theatro item cùm Theodosius III. Honorio Consulatum deferri curasset, simul venationem exhibuit ejus nomine, cujus tempore mira quædam res accidit, quam vide apud Tristanum *lib.* 3. non enim, vacat fusius referre.

V. Nunc quæret aliquis, ad quæ usque tempora Theatrum extiterit? Ac de hac quidem re cùm in Morenarum historia, versarer, & ea potissimum, quæ spectant ad Mediolanense excidium, attentius pervolverem: arbitrabar, ante hoc, aut vi temporis, aut injuria Gothorum corruisse; Videbatur enim moles adeò celebris, quæ si per ea tempora superfuisset, cùm Mediolanum excisum est, non esset certè sine mentione prætereunda. Illud accedebat, quod videram apud Landulphum Juniorem *cap.* 2., videlicet in consilio inito ad-

ver-

versum Grossulanum Archiepiscopum, Anno IIII., adfuisse quendam, qui *Presbyter Arricius de S. Victore ad Theatrum*, ibidem appellatur: Quin apud Puricell. *Mon. Amb. num. 336.* in sententia circa litem inter Monachos, & Canonicos lata Anno 1123., legeram inter Judices electos hoc nomen: *Olricus Presbyter Ecclesiæ Sancti Victoris, quæ dicitur ad Theatrum*: Propterea opinioni illi meæ addicebam magis, quod in Theatri jampridem diruti ruinis Ædem hanc cogitabam fuisse constructam. Verùm ut huic opinioni minus indulgerem, primum fecit Landulphi Senioris testimonium. Etenim eo tempore, quo S. Herlembaldus adversùs Schismaticos pugnavit, atque ab iisdem interfectus est, scilicet juxta Puricellum Anno 1076., Theatri adhuc mentionem reperi apud supra memoratum Landulphum, *lib. 3. cap. 29.*, qui tamen in Virum illum sanctissimum multa calumniatus est, ut Puricellus manifestè ostendit in ejus Vita. Eum audiamus. *Parvo autem tempore cùm Ordinarii Sanctum Chrisma ad Sancti Paschæ Fontes consecrandos devotè adduxissent, ab Herlembaldo fustibus, & terroribus constricti, atque coacti in Sancto Sabbato ipsum in Theatro duxerunt &c.* Et inferius. *Præcepit Militibus, ceteræque multitudini, ut armati in Theatro, dato signo, citissimè convenirent.* Igitur 86. annos ante excidium Ænobarbi, adhuc Theatrum extabat, in quo peracta hujusmodi intelligimus. Quin Tristanus Calchus, *lib. 7. pag. 153.* Theatrum superstes tradit Anno usque 1119., quo in Pontidiensis Monasterii favorem, Privilegium quoddam in ipso Theatro datum sic nobis recitavit. *Mediolanum venerunt tres Religione insignes Viri, Theobaldus Prior, Bernardus Monachus,* (non hìc est D. Bernardus Claravallensis), *& Landulphus eorundem Socius, qui Populum in Theatro sedentem præstolati, (durabat enim adhuc antiquissimi operis usus) prodierunt in medium, & gratiis actis, quod eorum omnium consensu, & impensa fundatum, extructumque foret in Bergomatium vico Pontida Cœnobium in honorem D. Jacobi, idque jam commodum, & habitatorum capax; rogarunt, ut*

insuper vellent, juberentque immune, & liberum servari ab iis oneribus, & vectigalibus, quibus pergravari interdum prædia solent: id quod exaudientes universi, una voce succlamarunt, fiat, fiat; inibique (in Theatro scilicet ipso) *publicæ tabulæ traditæ fuerunt*. Hucusque Tristanus. Quod si, (ut hinc quidem exploratum est), nonnisi 43. tres annos ante Ænobarbicum excidium, & Theatrum, & Theatri adhuc usus perseverabat; cùm nullum ab eo tempore ad Ænobarbicum Mediolani grave bellum ingruisse intelligamus; certissimum erit affirmare, Theatrum ad Annum usque 1162. extitisse; ac tum disjectum esse, quanquam de hoc prorsus taceat Morenarum Historia, fortè ad Friderici, cujus partibus addicti fuerant, extenuandam invidiam: Ac propterea, cùm de Ecclesia *S. VICTORIS AD THEATRUM*, ante hæc ipsa tempora, perspicua mentio reperiatur, eam affirmabimus, non in Theatri ruinis, sed affini ad Theatrum loco constructam, antiqua Theatri mole adhuc extante. De Auctore autem ejus excidii adversùs Merulam, sequenti capite, quod de Circo instituimus; quoniam res ipsa feret, sermo redibit.

CA-

CAPUT X.

De Circo.

I. MUlta sunt, quæ Mediolani extitisse Circum monumenta confirmant; omnia tamen consulto ommittimus, de loco ejus, Auctore, in eo gestis, & probabili, quousque duraverit tempore, paullo accuratè dicturi.

II. Ac locum ipsum designare videntur duæ illæ, quæ ad Circum Ædes appellantur *MARIÆ*, videlicet, ac *MAGDALENÆ*; quem ego situm non improbaverim, imò credam maximè, aut eundem, aut certè affinem fuisse, testante item Merula, subterraneos ibidem fornices sæpe à fossoribus erutos fuisse.

III. De Conditore ejus, magna est Mediolanensium dissensio. Quidam Marcello tribuunt: Corius Gabinio: Nonnulli Romanis indiscriminatim. Alciatus ex male exposito Lapide, à Q. quodam Audasio Acmazone dedicatum innuit. Etenim *lib.* 3. *Rei Pat. pag.* 185. De Decurionibus Mediolanensibus differens, quos ex vetustis Inscriptionibus confirmare nititur, hunc primo Lapidem affert in hunc modum. *Celebris*, inquit, *in primis apud Maguntiam est. Q. Audasius Acmazon Sextumvir Augustalis, qui Mediolani, & foro Populi CIRCUM dedicavit*. Verùm is Lapis ab Alciato perperam intellectus; nam idem *in Monum. Mediol.* 148. *M. S.* prorsus aliter, verius tamen illum exposuit. Ita habet Monumentum Modoëtiæ extans.

D M

D. M.
AVDASIAE. Q. E. CALES
Q. AVDASIVS ACMAZON
VI VIR AVG. C. D. D
MEDIOL. ET. FORO. POPL
PATER. QVAE. VIXIT
ANN. V. M. IIII. DIES. III

Hic Q. Audaſius Acmazon memoratur Sextumvir auguſtalis Creatus Decreto Decurionum Mediolani &c. ſic enim ſignificant illæ notæ C. D. D. Etenim ea litera C, non modò non eſt Antiquariorum nota, *CIRCI* ſignificandi gratia in aliis Lapidibus uſitata, quantum ego legendo perdidici; verùm ne in hoc quidem Epigrammate *CIRCUM* ſignificare poteſt, ſi dictionis, & ſenſus ratio habeatur. Ac præterea cùm pro Decurionibus eam memoriam in medium proferre inſtituat Alciatus, ſi illæ notæ D. D. pro *dedicare*, *aut dedicavit* acciperentur, prorſus ea ab re eſſet, atque inopportuna. Alciato igitur, (quod interdum eſt hominum etiam doctiſſimorum), ea excidit præter morem, minus ſcita expoſitio: propterea Q. ille Audaſius à *CIRCO*, atque ab ejus dedicatione tanquam impertinens ablegandus. Facilius crediderim Imperatoris Maximiani juſſu excitatam fuiſſe hanc, de qua agimus, *CIRCI* ſtructuram; illum ſiquidem intelligimus, præcipuè ex Mamertino *in Genethl.*, Urbem hanc ornamentis maximis decoraviſſe, & Romæ ipſi ſimillimam reddidiſſe. Magno autem Mediolanenſium honori vertit *CIRCI* hujus ſtructura, etenim ex Marco Valſerio *in Rer. Aug. Vindel. cap.* 5., quæ antiquitus Urbes fuere Circo inſignes, illæ item omnium præclariſſimæ ducebantur.

IV. Uſus Circi apud Priſcos quis eſſet, nemo ignorat; (Eruditis loquar:) nemo Ludorum Circenſium notitia expers. Eo Populus & publicis ſpectaculis Imperatores recrea-

ban-

bantur, quorum nonnulli immanissimi, in Circo quidem Martyres Sanctissimos, quod sibi maximæ erat voluptati, interdum excruciari jusserunt. Atque in *CIRCUM MEDIOLANENSEM* Maximianus ad se *VICTOREM MAURUM* Martyrem invictissimum trahi imperavit, ubi & fustibus cædi jussus est; quod iterum Anulianus ibidem fecit. Acta ipsa S. Victoris, quæ apud Surium supersunt, (si tamen legitima sunt), à Maximiano quodam descripta, quem Carolus à Basilica Petri *in Vita Sancti Materni*, eum esse putat, de quo ad D. Stephanum extabat olim hic Lapis: Q. INGENVVS MAXIMIANVS SCRIBA PVBLICVS PONTIF. ET CVRATOR AERARI &c., ab eodem scripta dicuntur noctu *ad luminaria in Circi Hypodromo*, ubi habitabat. Videntur igitur Circo annexæ Ædes publicæ fuisse, in quibus Scribæ, aut alii fortasse Judices degerent: nisi fortè eidem Circo Maximianum ipsum Palatium contiguum extitit, (quod licet suspicari), & cujus tanquam appendix ad Hypodromum structæ essent Scribarum illæ, & Judicum Exedræ, quarum in iis Actis, 8. *Maji*, mentio esse videtur. Ex Actis pariter paullo certioribus SS. Firmi, & Rustici à Maffejo publicatis, in *CIRCUM NOSTRUM* gemini illi Martyres, ad Maximianum Imperatorem protracti fuere, quæ res, & *CIRCUM* ipsum, & nostram de eo Historiam magis illustrat.

V. Theodosius item Imperator, in adversam valetudinem cùm incidisset, vitæque metueret, Mediolanum evocavit Honorium filium natu minorem, in cujus adventu Claudianus panegerim cecinit. Adventu filii lætatus Pater, levatusque modicum ægritudine, in *CIRCUM* etiam, cum filio descendit, Ludosque magnificos parari in pomeridianam horam jussit, quibus, mox gravatus, cùm ipse non posset, interesse Honorium voluit. Hæc, quæ extantem adhuc *CIRCUM MEDIOLANENSEM*, celebrare queant, apud Scriptores reperio.

VI. Quo ille tempore disjectus fuerit, ego prorsus in-

certum affirmo. Merula equidem, de D. Galdino *antiq. Vicecom. lib.* 3., ita scripsit. *Circum, & Theatrum demolitur, quæ duo maxima opera fuerant ab excidiis Urbis servata*, (utinam hoc nobis probabili aliqua ratione confirmaret), *& à quibus Gothi, deinde Longobardi, & reliqui immanes Barbari, & feræ Gentes temperaverunt, atque ita subruta sunt, ut vix vestigium appareat*. Sed Merulam, Andreas, Alciatus, *Rei Pat. lib.* 3. satis acerbè coarguit in hæc dicta. *Tradunt aliqui tercentis supra annis à Galdino Urbani Sacri Præsule destructum*; (Circum nempe), *quo potissimum nomine, injuriis eum incessit Merula, tanquam crassa quadam minerva pressus, pulcherrima opera, quibus etiam Barbari, & feræ Gentes pepercissent, aboleverit. Nos in re, cujus ex idoneis Scriptoribus nemo meminit, si liberæ conjecturæ est locus, longè prius cecidisse* (*CIRCUM* tantummodo, non Theatrum intellige), *opinamur; ut mirum, sit nullo Auctore, Merulam tam petulanter in Sacræ Religionis tum Principem, & divinis honoribus nunc cultum invehi*. Huic Alciati censuræ, atque opinioni & nos addicimus. Certè, si *B. MARIÆ AD CIRCUM* Ædes in Circi ipsius loco excitata est, Circus ante Galdinum, atque Ænobarbum excisus est. Sæpe apud Beroldum mentio Ecclesiæ hujus, quam ipse *ad Circulum*, seu *ad Circum* dicit. Beroldus, ut supra attigimus, Ænobarbi excidium antevertit. Quin Puricellus *Diss. Naz. cap.* 23. *num.* 4. promulgavit Diploma quoddam ab Eugenio R. P. in favorem Monasterii Majoris concessum: *quarto Kalendas Augusti, Indictione undecima, Incarnationis Dominicæ Anno Millesimo centesimo quadragesimo octavo Pontificatus verò Domini Eugenii Papæ Tertii Anno tertio*, in quo apertè est mentio Ecclesiæ *SANCTÆ MARIÆ AD CIRCULUM*, in quam Monialibus liberam impertitur dominii potestatem. Et in Manuali Primicerii Decumanorum M. S. *sub die* 16. *Novemb.* habetur. *Annuale D. Presbyt. Ariberti &c., & Capellani S. MARIÆ AD CIRCULUM dare debent &c., & hoc super bonis dictæ Ecclesiæ S. Mariæ, ex Instrumento trad. per Rugerium de Palcariis pridie Kal. Febr.* 1152.

CA-

CAPUT XI.

De Arengo, five Arena, aut Amphitheatro.

I. ARENA, quam noftrates etiam *ARENGUM* nuncupaverunt, ex Flamma *Chron. Maj. cap.* 43. *Inter Ecclefiam Majorem, & Ecclefiam Sanctæ Theclæ fuit quoddam Ædificium rotundum, & magnum, cujus muri erant albi, nigro, & albo marmore veftiti, & erat locus atrocitatis magis, quàm confolationis, quia ibi Rei puniebantur, & dicit Datius in Chronico* (Landulphus fcilicet Senior) *quod habuit ifte murus tot cameras per aliquot occultos meatus, quot funt dies in Anno fcilicet* 365., *& fuerant tantæ capacitatis, quòd Italiæ milites omnes ibi poterant federe, & quidquid ab uno Prætore diecebatur* (alibi Oratore) *faciliter audire, & fine impedimento videre. Hæc Datius. Ibi fuit Palatium, & Cathedra facta ex Leonibus marmoreis &c.* Eandem ferme defcriptionem folis verbis diffimilem habet, *Manip. flor. cap.* 27. In Chronico autem *extravag. quæft.* 34. idem repetit, fed hoc latius addit ad eam Cathedram *factam ex Leonibus* pertinens. *Ibi juxta fuit Palatium maximum, inerant multæ Statuæ, & una Sala tantæ capacitatis, quæ continebat X perfonas, & plus. Erat ibi una Cathedra marmorea pofita fuper duos Leones marmoreos, qui tenebant duas Cruces in branchis. In ifta Cathedra fedebat Imperator, five Princeps, quando volebat fuper Populum arengare, ideo tota illa contrata dicta fuit ARENGUM.*

II. Si hæc, quæ Flamma à Landulpho Seniore, quantum ad loci defcriptionem pertinet, exprefsè decerpfit, & quæ deinde ceteri omnes Mediolanenfes Hiftorici in fua fcripta retulerunt, aliquam mereri fidem videntur; Mediolanenfem potiffimum Urbem celebrant, quod hæc rarò admodum in Italia, aut Græcia, ut Maffejus fentit, *Ift. degli Anfit. lib.* 1. *cap.* 9. Ædificio potiretur, marmoreo fcilicet Amphitea-

tro, cujus formam exactè repræsentant, quæ mox pro ejus descriptione recitabamus. Vestigia certè hujus Ædificii nulla supersunt, quæ veterem illius formam testari queant: Nomen tamen *ARENGHI* diu superstes, quod corruptum *ARENAM* significare nostri docent Auctores, (quo item nomine suum Veronenses Amphitheatrum inferiori ævo appellare cœperunt) inditio esse potest, paris quondam structura Ædificii: Quin, si Maffejo eodem teste *ibid. cap.* 15., Veronense Amphiteatrum *Labyrintus* ob dubios viarum anfractus, quos ipsa Amphiteatri ratio requirit, ab Anonymo Rythmi Auctore, de quo & nos in calce hujus Operis nonnulla disserimus, nuncupatum est; monumentum fortè æqualis operis esse potest Lapis ille, scribente Flamma, *polit. novel. cap.* 39. in Palatio existens, in quo hæc inepta licet, atque obscura legebantur:

In Mediolano, stante Labyrinto prophano
Nomine Trojano ruit æstus Palladiano.

Fabulæ enim sunt, quæ ille citato in loco de vero congerit Labyrinto, propterea de Amphiteatro aptius illa queunt intelligi. Sanè Amphiteatri expressè ipse meminit Flamma aliis in locis, sed hoc tanquam aliud ab *ARENA* Ædificium sibi confixit. Verùm ea mihi luculentior Mediolanensis Amphiteatri probatio est Sculptura, & memoria illa marmorea *BICI SECUTORIS PRIMI PALI*, præcipuè scilicet Gladiatoris, in Archintorum Ædibus superstes, & quam nos in Appendice promulgabimus, ubi novam subjiciemus de Amphiteatro mentionem.

III. Eam quidem descriptionem multis ipse, quod sui moris est, prorsus ineptis infersit. Primo enim non Sontibus puniendis, sed spectaculis gladiatoriis celebrandis, *ARENA*, sive *AMPHITHEATRUM* fuit Priscis constitutus locus. Quod si aliquando damnati ad bestias in Arena sunt Martyres; habuit

buit hoc ipsum Spectaculi rationem, cui potissimum Immanes illi studebant. Præterea nimis ille Landulpho credidit, ex quo 365. *illas cameras, ubi omnes Italiæ Milites sedere, & loquentem Prætorem, seu Oratorem facilè exaudire possent*, nobis quoque venditavit. Quid enim hæ sibi Cameræ volunt? Num Cubicula intelligit? Sanè cùm Cubiculi ratio, clausam quandam mansionem significet, inde non video, quam illi facilè, clauso scilicet in loco, Oratoris unius valerent sermonem excipere. *Cameras* credo pro graduum, qui Amphiteatrum ambirent, sectionibus posuisse, in quas per *occultos* illos *meatus* per *VOMITORIA* scilicet, venientes ad Spectaculum homines, in sedilia se funderent. Deinde: num pro Militibus tantùm, num pro publicis, ad hos, aut ad Populum Concionibus, Amphiteatra in Urbibus fuisse sibi persuasit? Erant illa potissimum publicæ voluptatis caussa, ad quam universa Civitas confluebat; & cui Prætoris, aut Oratoris Concio omnino est impertinens. De hoc Maffejum vide *Istor. degli Anfit.*

IV. Quod ad Cathedram Leónibus fultam in hunc ipse locum concessit, prorsus ab Arenæ descriptione alienum esse duco. Quidquid enim de eo Palatio sit, quidquid de tam immani Aula, quæ X. hominum millia caperet, sentiendum esse videatur; certè cum in ea, quam describit Cathedra Imperatores sedere solitos affirmaverit, quoties habere ad Populum Concionem, sive ut ipse ait *arengare* constituissent, non hoc in Amphitheatro fieri moris erat, ut ex supra dictis compertum est. Duo igitur, ut puto, loca invicem confundit; *ARENAM* scilicet, & eam, unde Populum alloqui soleret Imperator, Aulam capacissimam. Nam cùm ipse *arengare* pro eloqui usurparet, ab *arengare*, *Arengum* dici existimavit: Quod tamen cùm ab Antiquis *Arenam* dictum fuisse animadvertisset, omnia simul commiscuit, & ad *Arenam* ipsam, Palatium, Aulam, Cathedram, publicam demum Concionem protraxit. Verùm quid in Flammæ gerris diutius immoramur?

V. Unum

V. Unum mihi certum eſt, *ARENAM* olim inter Theclæ, & Sanctæ Mariæ antiquiſſimas Ædes fuiſſe ſtatutam. Id ex nonnullis colligo Inſtrumentis pervetuſtis: Id ex additamento Beroldi apud Puricellum *Mon. Amb. n.* 441., ubi hæc expreſsè leguntur: *Locus, ſive Platea, quæ eſt ante atrium Hyemalis Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Majoris Mediolanenſis, qui, vel quæ dicitur Arengus, locus Communitatis &c.* Ea quidem tempeſtate, qua hæc ſcripta ſunt, *ARENA* excisa jam fuerat, (nam ibidem Anni 1272. mentio eſt), tamen ad loci indicium nimis apertè conducunt; quapropter Puricellus citato in loco ita ſubdidit. *Igitur olim Arengum erat, ubi nunc perampla extat Area, quam communiter idiomate noſtro*: La Piazza del Duomo: *nuncupamus; quia nimirum Baſilicæ Metropolitanæ fronti ea præjacet: tum etiam ex parte, ubi nunc Curia Ducalis conſpicitur; ſic enim affirmat Paullus Jovius in Actio Vicecomite.* Adidiſſem ego, & qui majoris etiam fidei in hoc eſſe poteſt, Corius *ad Ann.* 1333.

VI. *ARENGHI* mentio, tanquam loci ſua adhuc ætate ſuperſtitis, apud Landulphum Juniorem eſt *cap.* 31. in hos ſenſus. *Jordanus, ejuſque Vicedominus Olricus, unà cum quadam turba pravorum hominum deſcendit ad ARENCHIUM, ubi plures homines me abſente invenit, atque ego cùm eſſem penitus hujus Concionis, ſive Arenchii ignarus.* (Ea tempeſtate, & Concio, & locus Concionis uno *Arenchii* nomine fortaſſis appellabatur) *Rolandus ablaticus Lanfredi &c.* Verùm *ARENCHIUM* iſtud utrum idem cum Amphitheatro eſſet, an cum *Aula illa*, de qua ſuperius diſſerebamus, cùm nullam nobis deſcriptionem loci Landulphus ſubjecerit, malim inexploratum relinquere, quam dubium aliquid pro certo decernere. Certè, quicunque is locus eſſet, ab Ænobarbi clade deletus.

CA-

CAPUT XII.

De Aquæductis, ac Thermis.

I. CUm Thermas extitisse Mediolanenses; paullo infra certissimis eruditi monumentis affirmaverimus, tum inde magis ii, de quibus primo sermonem instituimus, *AQUÆDUCTUS* apparebunt, qui sanè salubrium fontium derivandorum caussa, in *THERMAS* ipsas influxisse tenendum est. Gaspar quidem Bugatus *pag.* 55., cùm multas, quæ fuisse credidit in hac Urbe, Thermas recenset, plures quoque in eamdem rivorum derivationes assignat. Aliarum M. illum Marcellum in Mediolanensi Historia adeò recantatum Auctorem facit. Alias, à Nerone, & Neronianis Thermis, vulgò *Nirone*, seu *Nerone* docet appellari. Alias, *Nervianas* à Nervianis *Balineis*, ac Nerva earum auctore nomen traxisse docet. Quod ad Neronis Aquæductum attinet, extat Lapis in Basilica Ambrosiana, qui planè aquam *Neronem* appellatam indicat, cui quidem à Nerone cognomen inditum; Flamma *in Chron. Maj. qua.* 15. *cap.* 31. sic refert. *In quibusdam Chronicis habetur, quòd Nero adhuc Cæsar, & nondum Imperator, rediens è Gallia, hanc Civitatem aliquo tempore inhabitavit, Flumen ad Civitatem introduxit, quod ex suo nomine FLUMEN NIRONIS appellavit.* Sic ille. Ego rem hanc discutere negligo. Sit apud istos Scriptores quæcunque fides. Illud multò certius affirmari posse videtur, quod ex Lapide Gruteriano eruimus; ab Hadriano scilicet Imperatore cœptum Mediolani *AQUÆDUCTUM*, & ab Antonio ejus filio deinde consummatum, ac dedicatum fuisse. En tibi Lapidem

IMP.

IMP. CAESAR. T. AELIVS. HADRIANVS
ANTONINVS. AVG. PIVS. CONS. III
TRIB. POT. P. P.
AQVÆDVCTVM. IN. NOVIS. ATHENIS
COEPTVM. A. DIVO. HADRIANO
PATRE. SVO. CONSVMMAVIT
DEDICAVITQVE

II. Lapidem hunc utpote Mediolani erutum, ad hujus planè Urbis ornamentum, atque memoriam pertinere, dissertissimè Joseph Antonius Saxius, in suo de Studiis Mediolanensibus *Prodromo*, *cap*. 3. multis evincit argumentis luculentissimis, ubi *Novarum Athenarum* nomen Mediolano vindicavit. Cui opinioni, pro summa in Virum hunc observantia, sic ego addixerim, ut nihil aut addam præterea, aut afferam confirmandi caussa. Hinc igitur, & Hadriani, & Antonini Pii Imperatorum munificentiam comperimus, quorum alter capere, alter perficere insignem, ut fas est opinari, Aquæductum, operæ pretium existimarunt.

III. Atque hi quidem Aquæductus omnes, quos recensuimus, aliique, qui præter istos Mediolani fortasse extiterint, proclive non est affirmare, num cœmentario, aut arcuato, eoque è terra sublimi opere, num verò simplici telluris fossione, Rivorum, aut Fluminum in morem in mœnia fuerint usque protracti. Fortassis hoc probabilius, tum quod nulla uspiam arcuati, aut subterranei, ejusque concamerati operis, in agro Mediolanensi (quantum ego interrogando perdidici) vestigia Aquæductuum, aut extent, aut reperta fuerint: tum item quod ipsa soli, in quo Mediolanum situm est humilitas, ac agri circumjacentis planities, nullum arcuatum opus postulare videatur; quod aquæ, aut in altitudinem aliquam derivandæ, aut soli inæqualitati vitandæ, potissimum adhibetur.

IV.

IV. Horum omnium faluberrimi Aquæductus ii maximè cenfendi funt, ex quibus aquæ in Thermas, fiftularum ope pertraherentur. *Fuerunt enim*, (ita Carolus à Bafilica Petri *in Vita Sancti Caftrici*), *Mediolani hujufmodi Ædificia ad fimilitudinem Urbis Romæ, ob infignem Urbis dignitatem, à Principibus, qui libenter in ea morabantur, extructa*. Auctor hic innuere videtur, ac probare eam, quam fupra attigimus de *THERMIS* opinionem: fuiffe fcilicet plures, atque eas Imperatorum, aut Virorum Principum commoditati conftructas. Certè, ut ut de Neronianis, aut Nervianis, aut de Trajanis Thermis, quas nonnulli ad D. Georgii collocaverunt, fe fe res habeat; Maximianæ, & extiterunt, & omnium fuerunt celeberrimæ Aufonio de iis canente:

Et regio HERCULEI celebris fub honore LAVACRI

Quod *Lavacrum Herculeum*, *nifi THERMAS*, atque has *MAXIMIANI HERCULEI* fignificat, non fentio quid aliud docere poffit.

V. Unum fupereft, ut propter Triftanum noftrum, de *Thermarum* hujufmodi loco difputemus. His certè communius ad D. Laurentii Regionem referunt; Alciatus equidem apertiffimè *lib.* 4. *Rei Pat. pag.* 199. ita teftatus eft. *Earum* (Thermarum nempe) *ad Laurentii certiffimæ ruinæ adhuc fuperfunt*. Atque, eidem Regioni cum Fanum Herculeum fuperius confignaverimus, illud ipfum confirmare poteft affertum noftrum. Siquidem, & à Maximiano Herculeo, & ab Herculeo ipfo Delubro, Lavacrum adjacens, Herculeum item, per Aufonii tempora, cognominabant. Verùm Triftanus *hift. Pat. lib.* 5. in aliam abit fententiam, ex tabulis quibufdam confectis Anno quintodecimo Berengarii Regis, (Chrifti; circiter 903.), ex quibus Raphaelis Ædes Mediolani pofita nonnullis bonis locupletatur, quæ ibidem *IN CONFINIO BALNEI* ftatuta affirmatur. Calchum audiamus. *Teftatum*

manet (illis scilicet, de quibus diximus tabulis), *quemadmodum locupletiorem faciebat Ædem Raphaelis Archangeli, media Urbe a se conditam* (sive Andreas Archiepiscopus, sive Berengarius hic sit, ex Calcho non liquet:) *in confinio, ut ipse describit Ecclesiæ æstivæ, quæ nunc majoris pars est, & Vinclendæ* (Vinnelendæ habet autographum *in Amb. Bibliotb.* = Wigelindæ, & *Widelindæ*, Puricello *mon. Amb. num.* 230.), *quam posteriores RADEGUNDÆ dixere, & SIMPLICIANI MINORIS, & BALNEI ANTIQUI. Quo verbo admonitus, cùm propinquæ sint significationis BALNEUM, & LAVACRUM; dubitavi utrum huic congruentius veniret illud Ausonii*; Regio Herculei celebris sub honore Lavacri, *quam Templo D. Laurentii, quod situ, & verbi significantia longè à BALNEO distat*. Hæc eadem ratio est, ex qua superius *lib.* I. ita scripserat: *Si idem est Lavacrum quod Balneum, id IN ALIA URBIS REGIONE fuisse ostendemus*. Alia scilicet, ab ea ubi nunc D. Laurentii.

VI. Verum mihi quidem *Lavacrum*, ac *Balneum* idem sit. Quid inde? An Thermæ, seu Lavacrum Herculeum, ad Sanctum Raphaelem propterea olim fuit? Alius à me istud affirmet. Primo enim ex iis Tabulis Balneum hoc, seu Lavacrum, si mavis, cognomine non *HERCULEI*, sed *ANTIQUI* adjecto, nuncupatur. Quocirca aliud ab Herculeo fuisse jure suspicabimur. Deinde, cùm in hac Raphaelis Regione situm Herculis fanum ne unus quidem Scriptorum doceat, fuisse autem ad eam Laurentii multi ferant, ac nos ipsi fusè probaverimus; cur hoc, quod veteres Tabulæ *ANTIQUUM* vocant, *HERCULEUM* nos nulla appellationis hujus, non dicam ratione, sed ne suspicione quidem injecta, (quæ pro nobis ex Herculeo Delubro tam vehemens est) *HERCULEUM*, inquam, *BALNEUM* asseveremus? *Certissimæ ad Laurentii Thermarum ruinæ*, nobis adstipulantur magis.

VII. Ex hoc igitur aliud colligendum est. Dicendum scilicet, alias ab Herculeis *Thermas*, atque has publicæ commoditati, in *Raphaelis* plaga fuisse constitutas. Favet ipse in

in Urbis medio opportunus locus: Favet ea, quam ex omnium fermè Urbium historiis haurimus, publici Balinæi notitia. Favent Lapides in conterminis Regionibus eruti; unde in iis Balnea fuisse compertum est, quibus sanè si publica lavationis commoditas datur, multò, & amplitudine, & dignitate minoribus Civitatibus; non est cur nostræ huic, nisi temerè, detrectemus. Sed quorsum hæc? Nos ipsi afferre Plinianum lapidem possumus, quem Eruditiss. Saxius *de Stud. Mediol. cap.* 2. ad Mediolanum pertinere defendit, ubi Plinius ipse in Urbem hanc liberalis: *THERMAS ADJECTIS IN ORNATUM SESTERTIIS TERCENTIS, ET EO AMPLIUS IN TUTELA, SESTERTIIS DUCENTIS, TESTAMENTO FIERI JUSSIT*. Istæ fortassis publicæ lavationi attributæ, atque illæ eædem, quæ *BALNEUM ANTIQUUM*, in iis Tristani Tabulis describebantur.

VIII. Thermarum de quibus egimus, mentio apud Mombritium, in Actis Sancti Martiani Derthonensis Episcopi. Et apud Surium 15. *Febr.* in Actis SS. Faustini, ac Jovitæ, qui ibidem ducti Mediolani in *Thermas Herculanas* feruntur; in quo tamen anachronismus inest; multò enim ante Maximianum ii passi sunt, nempe sub Hadriano, propterea in *Thermas* quidem *Mediolanenses* dederim perductos; non tamen in *Thermas Herculeas*, quæ si funditus à Maximiano erectæ, (quod communius creditur), & non tantum ab eo ornatæ, (quod suspicatus est Puricellus *in Vita S. Lau. Arch. cap.* 26., quem in hoc non satis probo), nondum extabant. Tum item, cùm gravis illa contentio inter Catholicos, atque Arianos tempore Sancti Dionysii Archiepiscopi orta est; *THERMÆ HERCULEÆ* pro carceribus fuerunt Orthodoxis, piisque Viris, sic enim Mombritius *in Vita Sancti Dionysii* nobis protulit: *Hæc cùm dicerent, facto impetu ab Eusebio Eunucho, appræhensi sunt de fidelibus Viris numero centum quadraginta & septem, cum quibus, quidam de Sacerdotibus, & Clero vincti intra* THERMAS HERCULIANAS *reclusi sunt*. Ad

quæ usque tempora illæsæ permanserint, aut Herculeæ istæ, aut communes illæ non ego decernam. Certè lavandi, atque inde Thermarum, quanquam ethnicus olim usus, diu post abrogatam impiorum Numinum religionem, in Christianis etiam Urbibus viguit.

BENEVOLO LECTORI

MONITUM.

SUpereſt ad uberiorem, quam de Ædificiis hucusque produximus, Diſſertationem; ut de Scholis item, atque Bibliothecis, quas extitiſſe Mediolani certiſſimè accepimus, peculiarem hoc loco tractationem ingrederemur. Sed hæ quoniam ad Studiorum magis, quàm Ædificiorum Mediolanenſium hiſtoriam pertinere videntur, de quibus Doctiſs. Saxius in ſuo de Stud. Mediol. *Prodromo, ſumma cum copia, ac dignitate diſſeruit; Eum Tu adire, Lector, ne graveris, cujus eruditione, non modò inſcitiam noſtram redimes, ſed eam pariter, qua te diu in legendo fatigavimus, univerſa hujus lucubrationis moleſtiam ſublevabis.*

APPEN-

DE VETERIBUS MEDIOLANI SCULPTURIS

APPENDIX PRIMA

Ubi certa, in quibus illæ exiſtunt, aut extitere loca deſignantur, ſingularum formæ ſcripto, & ære exprimuntur, ſignificationes verò ex ineditis interdum MSS., & noſtris ubique animadverſionibus explanantur.

MONITUM.

POſt fuſiorem de Ædificiis tractationem, breviorem Veterum Sculpturarum, quæ aut Ædificiis ornamento, aut in iis præſtanti monumento fuerunt, ſubjicimus deſcriptionem. Si fabulis autem recreare Lectorem magis, quam ſolida Mediolanenſis antiquitatis cognitione erudire ſtuderemus, multa confeſtim è tenebris erumperent Simulacra, quæ præſtantiſſima omnium, & antiquiſſima venditaremus. Etenim, ut habet Gaſpar Bugatus *lib.* 1. *pag.* 14., Subres uſque vetuſtiſſimus ille Inſubrum, ac primæ eorum Civitatis Auctor præ foribus novæ Urbis, Statuam egregio opere, Urbem ipſam referentem collocavit, cui Virginea corporis forma, ferreum capiti Diadema, Galluſque dexteræ inſidens, albo colore conſpicuus. *Juxta Flammam* verò *Manip. Flor. Cap.* 25. fuit; in *Viridario Urbis Idolum Februæ, Matris Dei Martis, quod ſedebat in aureo Throno, & ſimiliter de eventu bellorum reſponſa dabat, & victorias à Marte filio ſuo impetrabat*. Aderunt illico, nota illa ſingulis Portis, de quibus ſupra egimus, impoſita Numinum Simulacra. Verùm de his *Cap.* 2. judicium tulimus. Februam autem Deam, quæ nunc primum ſe nobis exhibet, *Flammæ* liberalitati tribuamus oportet, ni inſcitiæ dicamus. Quæ enim Februæ luſtra-

luſtrationum, ac purgationum Deæ ex Ovidio *Faſt. lib.* 2., cùm Marte conjunctio, ut meritò hujus Parens referatur? *Junonem* Poëtæ omnes Martis Parentem ſcripſere. Quod autem ad Bugati præclariſſimum Signum pertinet, ingenium miror, fidem requiro. Quis enim in re tam vetuſta, nullo præſertim teſtimonio veteri recentivè adducto, Bugati unius auctoritati nitatur? Nonnulla quidem certis, aut ſcriptis, aut monumentis Simulacra, extitiſſe docemur, nonnulla adhuc ſuperſunt, quamquam pro dignitate tam vetuſtæ Urbis, numero exigua, & quorum ipſa exiguitas innumeras, quibus Mediolanum, tam crebro obnoxium fuit, clades infeliciſſimas teſtificentur. Cogitavi ego, ne eorum memoria periret, in hunc locum quædam congerere, & Figuris exprimere, quorum magis commoda fuit delineatio: neque enim omnia nos compræhendiſſe in hac Appendice noſtra opinamur, fortè enim privatis in Domiciliis alia ſunt, quæ noſtram aciem, ac notitiam fugerunt. Aliquot in hunc numerum ex agro etiam Mediolanenſi adſciſcemus, non enim ex Urbe tantum deducenda fuiſſe omnia arbitramur. Nullum in iis referendis ordinem ſervabimus, quem neque rem ferre, neque poſtulare cenſemus. Atque ut ab optimo, ac celeberrimo Signo exordiamur.

I.

PRæclariſſimum ſane illud fuit, quod M. Bruto, ob Galliæ Provinciam magna cum virtutis laude adminiſtratam, acceptorum beneſitiorum memores Mediolanenſes erexerant, in Foro quidem, ut Triſtanus tradit, ac Albutii Sili Novarienſis habita ab eo non procul, in defenſione Rei peroratio, ſatis videtur innuere. Ex ære fuit quam affabre factum, quod ex Plutarco *comp. Dion cum Brut.* manifeſtè didicimus, de cujus quoque præſtantia mox ſermo redibit. Hoc Cæſar Auguſtus poſtea cùm Mediolani vidiſſet,

set, præteriit: Mox subsistens vocavit Magistratus: fractam sibi fidem quæstus est; Mediolanenses hostem suum apud se habere. Negantibus illis primum, quemque hostem diceret dubitantibus, ac se mutuò intuentibus, ad Statuam conversus contracta fronte. An non, ait, is, qui hic adstat, hostis noster est? Cùm magis etiam perterriti silerent, subridens ille, & Civium constantiam in referenda gratia commendans, ne Statua omnino loco moveretur imperavit. Hæc ex Plutarcho loco supra relato. De eadem Svetonius *de Clar. Rhet.* Illa igitur immota aliquandiu stetit. Ad quæ usque tempora nemo decreverit. Ejus certè multò ante præclarissimi Signi jacturam fecere Mediolanenses, quod fuit illis aliquando dolendum; Verùm (quod excandescens simul, atque illacrymans scribo) novum metuo ne nos ipsi Simulacri hujus detrimentum tulerimus. Superiore certè Anno, ut ex Viris fide dignissimis intellexi; incerto quidem illis loco, non procul tamen ab Urbe, egregium idque æreum Simulacrum prodiit, ab imperitissimis æquè, ac avidissimis Rusticis fortè detectum. In illud, quæ hujus generis avaritia est, metalli facilius asportandi, ac vendendi caussa, barbari homines sic malleis sævierunt, ut præstanti opere in frusta minutatim confracto, & in saccos redacto, nulla ab eorum immanitate pars integra evaserit. Fortè nobis boni Superi Brutum reddiderant, Brutum nobis Rusticorum cupiditas abstulit, & quod nobis est magis quàm Priscis deplorandum, non abstulit modò, sed delevit propterea, ut ejus denuo reperiundi spem omnem perpetuò ademerit. Ejus me Simulacri frustulum quoddam vidisse, quod Nobilissimus March. Theodorus Triultius, fortè obtinet, bonis Superis acceptum refero. Æs certè mixtura præstantissimum, mirè politum, ac ad summam, quæ in ære esse possit exilitatem redactum; quod præclarissimi, & vetustissimi Artificis mysterium procul dubio manifestat. Quin apud nonnullos extare intelligo aliud, sed paullo grandius Statuæ ejusdem fragmentum, tibiæ juncturam

ram cum pede repræſentans mirifici ſanè operis, potiſſimum quod in eo deprehendantur, ubicunque metalli fuſura minus continens accidiſſet, teſſellæ quædam quadratæ ſcalpri opificio, exactiſſimè inſertæ, aptatæque, adeo ut acutiſſimum prope oculum fugiant. Quod opus tam diligens, atque elaboratum, cùm vigentis per Auguſti tempora foſoriæ artis, ac ſummæ, quæ tum fuit, in æs facultatis indicio ſint manifeſto, non immerito fortè conjicimus Bruti illud Simulacrum fuiſſe, quod Ruſticorum barbaries, atque avaritia tam immaniter hac eadem tempeſtate peſſumdedere.

II.

Aliud eſt, quod ſecundo loco recenſeamus, Signum illud mediæ prominentiæ, de quo ſupra *Cap. V. num.* 2. olim ad D. Ambroſium exiſtens, cujus quidem non vacat hoc loco ſignificationem iterum diſcutere, de qua ibidem diſputatum eſt. Præſtat quidem animadvertere ſatis illud vetuſtum fuiſſe, non quod Regum uſque Angleriæ Sepulchro impoſitum eſſet, eorumque Inſignia referret, *Capite enim VII. num.* 13. hos Angleriæ Reges Doctiſs. Saxio Duce, inter fabulas conjecimus, ſed quod potiſſimum Sculpturæ ratio ſatis elegans, reſque ipſa inſculpta ethnicæ ſuperſtitionis veſtigium aliquod repræſentant. Quando autem Ambroſianæ Eccleſiæ pavimento, atque in ipſo Chori ingreſſu (hic enim jacebat) inſtratum fuerit, à nemine accipimus. Puto unà cum aliis veterum Ædificiorum marmoribus, quorum multa ſigna vel nunc dignoſcuntur, Ædi illi antiquiſſimæ ſternendæ fuiſſe adhibitum, utque aliis præſtantius, in ea item nobiliori, atque introeuntibus conſpicua fuiſſe pavimenti parte collocatum. Certè Anno 1063., quo mirum illud prodigium accidit Liprandi Presbyteri ad judicium ignis à Groſſulano Simoniaco Epiſcopo adacti, extabat illud, ut Landulphus à S. Paullo *Cap.* 10. apertè innuit in hæc verba.

Et



Ex Antiquario Alciati M.S. monum · 16.

Et facto silentio in Populo, & Presbytero stante nudis pedibus super Lapidem marmoreum, qui in introitu Chori continet Herculis Simulacrum (Herculem Landulphus credidit, quem nos pro Fauno accepimus), *idem Grossulanus ait ad Populum &c.* Et inferius: *Et Presbyter in hoc multiplicato clamore, licèt Senex, desuper Lapide continente Herculis Simulacrum, prosilivit.* De eodem Faccius Ubertus *Dittamondo cant.* 4. *lib.* 3. vulgarem quandam opinionem, ac famam Mediolanensium prodit, in hos versus, si tamen eorum legitima est lectio, quam aliter Puricellus *Mon. Amb. num.* 297. emendavit.

L'Hercules vidi, del qual si ragiona,
Che fin che giacerà, come fa ora
L'Imperio non potrà sforzar Persona.

Alciato Cicerejo, & Calcho viventibus adhuc extabat. Illud deinde pretio obtinuit, ut apud Puricellum *in Vita Sancti Herlemb. cap.* 78., Vir Clarissimus, & hujusmodi veterum Monumentorum Studiosissimus Prosper Vicecomes Gasparis Archiepiscopi consanguineus, atque in Germaniam ad Serenissimum Bavariæ Ducem transmisit. Hoc loco exactè delineatum expressimus.

III.

FRanciscus item Cicerejus in M. S. nostro *Monum. ab Alciato prætermiss. lib. primo, Mon.* 19. illustre aliud, certissimum tamen Herculis Signum ex nobilissimo ejusdem fragmento, ad Fanum Victoris Martii reperto, nobis commendavit in hæc verba, quæ, quoniam eruditissima sunt, nec publici juris facta, in hunc locum libentissimè exscribo. *Si (quod ajunt) Alcæi more licèt ex unguibus Leonem existimare; præstantissimam fuisse hanc Herculis Statuam crediderim; & ea, quæ in Ambrosiana conspicitur Æde, vel eò præstantiorem;*

quod ea Bacchine, an Herculis sit potius, nescias; hanc solus sibi vindicat Hercules exerto brachio maximè conspicuus. Unde is, qui confecit Epigrammata in Custodem hortorum.

„ *Notas habemus quisque corporis formas;*
„ *Phœbus comosus, Herculis lacertosus.*

idem alibi

„ *Num tegit Alcides nodosæ robura clavæ?*

Ex humeris item sua dependent spolia, pellis videlicet leonina; de qua Dejaniram Ovidianam sic ad ipsum Herculem scribere novimus.

„ *Nempe sub his animam pestis Nemæa lacertis*
„ *Edidit, unde humerus tegmina lævus habet.*

Ex quibus Ovidii carminibus, si quis paullo argutior fortè addubitaverit, num Herculea hæc Statua ad veterem normam satis fuisset perfecta, quod hic Leonis exuviæ in parte conspiciantur dextera: is sciat humerum quidem sinistrum Leoninis spoliis instructum fuisse, sed extremas eorum partes in dextrum latus potuisse vergere: id quod in ea parte, quæ de tam eleganti signo reliqua est facta, expressum est. En ex eodem Cicerejo signi fragmentum.

I V.

Quoniam verò in Hercule, ac Cicerejo versamur, aliam ab eodem M.S. nostro *Man.* 18., de veteri quadam ejusdem Numinis sculptura notitiam, Scriptoris ejusdem elegantissimi verbis, in hunc locum inserimus. *Visuntur ibidem* (ad D. Victorem. Nunc in Ædibus Humanissimi Viri Mar-


pag 130
In Aedibus March:
Mazentae, et Cicereji
M S.

Marchionis Mazentæ), *præterea alia quædam Antiquitatis vestigia, quorum alia in suis Scriptis expressit Alciatus; alia ita sunt contrita, ut vix digna censeas cujusquam notatione; excepto uno quidem illo, quod, cùm Templum ipsum extrueretur, in summa ferè janua ad dextram, ornatus gratia, collocatum visitur; ita tamen confractum & ipsum, ut, nisi eo tempore fuisset collectum, & calce refectum, paucis post annis interiisset. Opus est quidem parvum, si imagunculas contempleris; quæ capiuntur tabella ex candidissimo marmore undique elaborata, longitudine pedum duorum, & semmissis, latitudine verò pedis unius, & digitorum novem, sed, si elegantiam spectes, maximum, adeoque absolutum, ut omnium veterum Artificum operibus, quæ quidem apud nostrates visuntur, jure sit præferendum. Est hoc marmor ea insignitum fabula, quam multi Scriptores memoriæ prodiderunt, de duobus Serpentibus Junonis insidiis ad Herculem vita privandum missis, & ab ipso adhuc infante necatis; quæ licèt sit satis nota, nihil tamen prætermittam, quin latius explanetur, ut, si fieri possit, & inde aliquid dignitatis ad hoc rarum vetustatis Monumentum perveniat &c.* Multa congerit ex Poëtis ad hujus fabulæ illustrationem, dignissima illius eruditione, sed ad rem nostram nimis prolixa. Deinde. *Extat igitur in hoc præclaro opere Hercules cùm adversùs angues reptâssent, eorum spiris implicitus, involutusque, suprà verò in nubibus Juno sceptrum habens in sinistra manu, quæ sibi Jovem indignantem, & barbam dextra convellentem, blanditiis videtur demulcere. Adest Jovi à dextra Aquila. Videntur porrò Veteres illi non immeritò hæc potissimum Herculeæ virtutis rudimenta, & incunabula tam pulchro Monumento cohonestare voluisse: siquidem Diodorus libro quinto testatur, ideo factum, ut Hercules immanes feras, quandiu vixit, oppugnare studuerit: quod Serpentes ipsum adhuc infantem necare conati fuissent. Et quemadmodum docti quidam homines arbitrantur, Agesandrum, Polydorum, & Athenodorum Rhodios summos Artifices, Laocoontis, & duorum filiorum Statuam Romæ formasse ex ipsius Virgilii descriptione; ita nos hunc, quicunque fuit, existimamus, quæ de hoc ipso*

Herculis facinore scripta à Seneca fuissent, sibi in hoc opere perficiendo proposuisse. Sunt autem hujusmodi.

„ *Infantis ætas Monstra superavit prius*
„ *Quàm nosse posset, gemina cristati caput*
„ *Angues ferebant ora; quos contra obvius*
„ * *Rapuit infans, igneos Serpentum oculos* * leg. *reptavit*
„ *Remisso pectore, ac placido intuens,*
„ *Arctos serenis vultibus nodos tulit,*
„ *Et tumida tenera guttura elidens manu.*

Non potuit tamen hæc omnia in marmore expressisse, quemadmodum, neque illi omnia de Virgilio transtulisse; neque injuria: Quis enim nescit, multa ad aures pertinere, quæ oculis non item conveniunt? Mirus itaque Artifex, quoad ejus fieri potuit, Senecam videtur secutus. Atque utinam, ut ille Senecam loquentem Cælo suo pulcherrimè expressit, ita ego penicillo meo aliquam operis hujus virtutem exequi potuissem, longè enim pulchriorem rei formam Lectoribus exhibuissem hac ipsa, quam pro mea, quantulacunque est, facultate ad marmoris exemplum delineavi. Hucusque Cicerejus. Nos hìc imaginem apponi curavimus, quam tamen ad normam illorum Senecæ carminum elaboratam, tanta cum elegantia, haud scio an crediderim. Sunt enim illæ, quæ Senecæ tribuuntur, Tragediæ diversorum Auctorum; atque illa quidem Herculis furentis non prorsus felix, Auctorem inferioris ævi sapere videtur, propterea ut esse pro exemplari nequiverit Sculptori peritissimo, quem, si meliori ætate, ac paullo ante vixisse suspicabimur, fortassis à vero non declinabimus.

V.

FUit & supra Pontem *Fabrorum*, seu ut Castilionæus mavult *Fabiorum*, dimidia quædam Figura, in summa arcus

cus parte collocata, Hymæneum, ut vulgus quidem diu credidit, sed ut Castilionæus *Antiq. Vinc. fasc.* 7. scripsit, & ut ego quoque cum eodem, *Cap.* 8. affirmabam, Civitatem aliquam repræsentans. Turrita illius vertici corona, vestis sinistrum humerum leviter velans, nonnullique ad caput hinc atque hinc detriti carachteres, quorum prorsus dubia significatio. Sanè non eam Hymænei formam esse turritus præsertim vertex ostendit. De hoc fusius Castilionæus loco suprarelato disseruit, qui quoniam Iconem ejus ibidem apposuit, nos qui novum aliquid promulgare molimur, eandem prætermittimus.

V I.

Extat nunc quoque ad Orientalem viam vetus quoddam ex marmore Simulacrum (lapideum hominem vulgus appellat), diligenter insculptum, satis tamen vetustate detritum, atque corrosum, & brachiis mutilum, cui dictum quoddam Ciceronis in pariete impendet, ex quo de Ciceronis ipsius effigie aliquid nonnulli suspicati sunt. Verùm illud, ut opinor, mero nonnullorum arbitrio affixum est. Longè alium à Tullio, Statuam illam repræsentare Scriptores docent Mediolanensis historiæ. Communius Adelmani Menclotii, qui Anno C. 947. Populi suffragiis nixus adversùs Manassem Burgundum Ecclesiæ Mediolanensis regimen petiit, signum esse tradiderunt. Id apertè Tristanus *lib. 6. Rei Pat. pag.* 116. testatur, ubi de Ecclesia Sancti Georgii *ad Puteum album* ab Adelmano erecta postquam disseruisset, hæc addidit. *Erexit quoque ibi Statuam Adelmanus, quæ quotannis albo, nigroque colore interpolatur, & xenia vicinis mittuntur.* Hic quidem mos interpolandi quotannis Simulacrum, quantum ego scio, jam desiit. Ego tamen, quamquam in tanto Mediolanensium consensu, in aliam prorsus habeo opinionem, atque illud incerti hominis, Romani tamen, non Adelmani

mani ſignum exiſtimo. Duo me potiſſimum movent. Ipſa primum ſculpturæ ratio, etſi non omnino perfecta, (Figura enim ad paullo breviorem ſtaturam accedit) multùm tamen præſtans, quæ Adelmano vivente, prorſus fuiſſet rudis, & inepta; deinde veſtitus forma. Apertè enim Romanam Togam repræſentat, cujus in humerum ſinus rejectus luculentiſſimè apparet. Ipſam Statuæ delineationem ſubdimus, ut noſtram Erudti opinionem, facilius diſcutiant.

V I I.

IN Ædibus Archintæis ad *Portæ Novæ* regionem, magna veterum Monumentorum copia inſtructiſſimis, parva quædam ex candido marmore Icon conſpicitur, fœminam repræſentans, geminis utrinque æquali inter ſe forma, ac intervallo adſtantibus Quadrupedibus, qui aliquam de Diana opinionem primum injicere videntur; cujus quidem nonnullæ, licèt ſub alia veſtitus forma, imagines extant cum duobus utrinque Cervis apud *Gronovium*, *&* *Montfaucon*. Fœmina, longis veſtibus, & ad pedes uſque protenſis induta. Laxior ab humeris palla dependet. Siniſtra manu gladium in ſublime tenere videtur, cujus in marmore quædam, niſi fallimur, apparent veſtigia, dextra autem demiſſa orbiculare vas tenet. Pateræ quædam pars prominere videtur, reliquum confractum eſt. Duo item qui adſtant Quadrupedes capite mutili; difficile iccirco eſt certam bruti ſpeciem ſtatuere. Mihi quidem Capreæ fuiſſe videntur. Etenim in utroque Lapidis margine duo quædam veluti Caprini cornu veſtigia, quantum ad creandam Quadrupedis conjecturam ſufficit, injuriæ temporum ſatis reſtiterunt. Certiora de eleganti Sculptura doceremur, niſi illi, qui in infima parte fuerant carachteres, ſcalpro fuiſſent attriti. Vix unius A, & V, ſatis inter ſe diſſita, & confuſa, apparent rudimenta. Quæ noſtra eſt de hujus Imaginis ſignificatione ſententia? Dianam, ut mihi delatum

 VII



In Aedibus Archintorum

tum est, Angli quidam advenæ, cùm aspexissent, illam esse crediderunt, ut puto Quadrupedibus moti, quos Cervos essent opinati. Nec Patera, quam manu tenet satis fortè dissuasit: Est siquidem apud *Montfaucon Tom. primo*, Diana quædam sub Hecatis nomine, ex Peirescii Musæo deprompta, quæ dexteram porrigit Patera instructam. Verùm ea mihi non Dea, sed Deæ potius Sacerdos existimatur. Vestis me, gladius, & Patera quam maximè persuadent. Cujus autem Numinis Sacrificem facimus? Rem duo illi Quadrupedes facilè explanarent, nisi capite fuissent ambo truncati. Profectò, si pro Cervis revera sculpti fuere, illam Dianæ Sacerdotem manifestissimè produnt; Etenim

-- *pinguis ubi, & placabilis ara Dianæ*. (Virg. Æn. 7.)

non homines, ut olim Tauris Urbe, sed Cervæ litabantur. Res ipsa manifesta est ex veteri Kalendario apud Dempsterum *in Paralip. lib.* 4. *ad cap.* 4 *sub Kal. Febr.* Dianæ sacra fiebant, à Cervis *Elefbabolia* nuncupata. At Dea ipsa gratissimam sibi Cervam ostendit, quam immolandam pro Iphigenia supposuit, unde

Ovidius *Metamorph. lib.* 12.

Supposita fertur mutasse Mycenida Cerva,

cui alludens Juvenalis *Sat.* 12. *lib.* 4.

— — — *Et si qua est nubilis illi*
Iphigenia Domi dabit hanc altaribus, etsi
Non speret Tragicæ furtiva piacula Cervæ.

Nos verò non pro Cervis eos accipimus, sed pro Capreis magis. Conjecturam, duo illa, de quibus supra Caprini cornu

ve-

vestigia, quæ in utroque supersunt margine, *satis* confirmant. Quapropter illam adhuc poterit aliquis Dianæ fortassis cultui assignare. Etenim teste Dioscoride, *lib. 5. cap.* 887. apud Hofmannum *de Lemnia terra*, in qua Dianæ sigillum, nonnisi à Divina Muliere, hoc est, Dianæ ipsius Sacerdote, (ut Galenus habet), imprimebatur; Sigillum Dianæ, Caprea fuit: licebit propterea etiam ex Capreis quidpiam de Dianæ religione suspicari. Sed Capreæ Æliano Auctore, *Hist. Anim. lib.* 10. *cap.* 23. sacræ Isidi putabantur apud Coptitas, quocirca, etsi masculos mactarent, atque comederent, fœminas tamen colebant, & consecrabant. Verùm quidem est apud Alexandrum ab Alexandro, *Gen. dier. lib.* 3. *cap.* 12. propriam Isidis Victimam anserem affirmari. Tamen, cùm ex veteribus Monumentis quammaximè viguisse Isidis honorem apud Insubres eruamus, fortè illi probabilius Sacrificem nostram addicimus, cui si minus, ut Victimæ, certè ut grata Deæ Animalia, Capreæ illæ duæ fuissent adsculptæ. Geminæ sunt apud Alciatum Inscriptiones *Mon. M.S.*, unde cultam Priscis nostratibus Isidem manifestè deducimus. Prima in fragmento quodam

ISIDI
A ATRYPHAE
L ∽ M ∽

alia in egregio Stilobate sic habet:

ISIDI : M. QVRT
AEDEM

VIII.

VIII.

Silliceus quoque Lapis in hortis Archinteis, sine ulla Inscriptione, signa quædam repræsentat, quæ Militaria fuisse alicujus dona, & insignia opinamur. Repræsentat enim geminas coronas alteram vittis ligatam, alteram solutam, & duos item annulos, alium alio paullo majorem. Fuisse autem coronas inter Militaria dona compertum est ex Livio, Valerio Maximo, aliisque innumeris Scriptoribus. Earum quoque varias classes iidem recensent; tum ritum in iisdem tradendis adhiberi solitum idem Valerius Maximus, *lib.* 1. *cap.* 8. *ex.* 6. fusè est persecutus. Quæ in Lapide nostro visuntur coronæ Civicæ sunt, quernæ scilicet, ex qua fronde omnium istæ, triumphalibus demptis, nobilissimæ conficiebantur. Annuli quoque, (etsi veteribus solum esset Regum, & Senatorum insigne), vel gregariis Militibus usus accessit, Severo potissimum Imperatore illius, etiam aurei, gestandi facultatem impertiente, teste Herodiano, *lib.* 3. *cap.* 8. Ex quo autem metallo nostri illi Lapidei confectos annulos repræsentent, nemo nisi divinando consequetur. Certè non illi Lapidem, aut gemmam continere videntur; sed ex ipso, unde constarent metallo, quendam quasi globulum tenent in superiore parte pro annuli quasi capite, & ornamento. Hi fortè annuli Claudii Imperatoris Principatui respondent, qui, ut Plinius tradit *lib.* 33. *cap.* 1. nullas admittebat in annulis gemmas cœlatas, sculptasque, sed auro ipso tum moris erat, ut litteræ, & alia id genus obsignarentur. Nihil tamen in eo nostrorum globulo insculptum conspicimus. In ima Lapidis parte forma apparet cujusdam quasi contignationis, cujus trabes rectè aliæ, aliæ autem obliquè invicem aptantur, & decussantur. In juncturis rotunda quædam clavorum capita prominent. Simile huic Signum, etsi gemina contignatione, (nostra enim simplex) in Lapide Cæsiano extat apud Pie-


S rium

rium Valerianum *Hieroglyphic. lib.* 42. *cap.* 88., clavi ibidem Leoninos rictus repræsentant. Illud Pierius pro Castris explicat, ait enim: *Inter castrensia ornamenta, honoresque invenias plerisque locis, non tantùm signa, verùm etiam, & areas pullarias, & Castrorum ipsorum modulos &c.* Deinde signum illud explanaturus adjungit. *Castra quidem hujusmodi, quam adpingimus contignatione fabricata erant tignis octo pro parte qualibet &c.* Sequitur fusa signi illius descriptio, à quo cùm nostrum hoc vix leviter differat, illud nos quoque pro Castri signo accipimus, quod Castrensem aliquam dignitatem significat, vel Castra suorum defensa, vel hostium superata fortasse indicet, vi & robore illius, cujus honori Lapis ille fuit insculptus, cujus tamen decorum nomen desideramus. Tu Lector, Lapidem ipsum, quem hìc repræsentamus, inspice diligenter, non enim dignum censemus, quem tua negligat eruditio.

I X.

BIci quoque imago in candido marmore sculpta cum subjecta Inscriptione, quamquam exiguum Lapidem, eumque satis detritum occupet, dignissima est, quam diligentissimè exponamus. Visitur in ea Bicus ipse elatum dextera pugionem, sinistra verò clipeum tenens. Vestitus certa forma propter exæsum marmor difficilè attingi potest. Ad ejus lævam galea palo eminet infixa, cujus pedi Cerva assidet dextro crure Bicum versùs erecto. Geminæ hinc inde arbores prominent. Huic, si Cervam demas, prope simillimam Batonis cujusdam gladiatoris Iconem attulit, *Montfaucon Tom.* 3. *par.* 2. Cerva humi jacens inter arma, nisi fallimur, expulsi metus omnis Symbolum est, invicto Secutoris robori planè respondens. Parum dissimilis Cerva ad palum jacens, cui galea, aliaque arma infixa videntur, extat in veteri gemma à Gronovio explicata *par.* 1. *n.* 178. Iconem certè nostram Gladiatoris esse non est ambigendum, ex his, quæ prima sunt,

In-



In hortis Archintorum

Inſcriptionis, verbis T BICO.SECVTORI.PRIMO.PALO. Erant Secutores de Gladiatorum grege, qui potiſſimum cum Retiariis pugnabant, à quibus inſequendis Iſidoro teſte apud Lipſium, *Saturnal. lib.* 2. *cap.* 7. nomen ſortiti ſunt, cui Lipſius addicit. Secutorum mentio apud Tullium; *Ad Attic. lib.* 7. in hæc verba. *Gladiatores Cæſaris, qui Capuæ ſunt, ſanè commodè Pompejus diſtribuit, binos ſingulis partibus familiarum. Secutorem in ludo* ∞ ∞ *fuerunt*. Et apud Juvenalem *Sat.* 8.

. . . . . . *cum Graccho juſſus pugnare Secutor*.

Secutorum arma hæc fuiſſe docet Lipſius *ubi ſupra*; Gladium, Clypeumq; & caſſidem, quæ ceterorum omnium Gladiatorum, Retiariis exceptis, munimentum fuit. Omnia hæc in noſtra apparent Sculptura. Fuit autem Bicus, *Secutor, & Primus Palus*, Primus ſcilicet Secutorum. Commodus enim Imperator, ut à Lampridio in ejus Vita accepimus, *appellatus eſt inter cetera triumphalia nomina etiam ſexcenties vicies, Palus primus Secutorum*. Quod *Pali* nomen, ſive alicujus robuſtiſſimi Gladiatoris proprium fuerit, ut Lipſius, & Caſaubonus tenent, ſive excellentiæ, aut dignitatis cujuſdam appellativum, quod Salmaſius ex Dione probare contendit; certè hoc in Lapide Bicum noſtrum ſui ordinis Gladiatorum, Secutorum nempe, caput, & columen fuiſſe indicant, quod ejus vertit præſtantiæ, atque honori. Ego tamen magis Lipſii, aliorumque partibus faveo, ex Lampridii potiſſimum teſtimonio, unde hæc de Commodo eodem legimus *Nomina Gladiatorum recepit eo gaudio, quaſi acciperet triumphalia*, quæ verba de propriis nominibus videntur loqui; ut enim triumphalia nomina, aut aliorum ſunt qui triumphaverint, aut earum Gentium, & Provinciarum propria, ob quas ſubactas triumphus fuiſſet illis decretus, ita, quæ maximè oblectaverunt Commodum, Gladiatorum nomina, propria eorundem fuiſſe videantur. Si ita eſt, à Commodo Imperatore deinceps Secutorum præſtantiſſimi *Primi Pali* appellatione honeſtati ſunt; videtur propterea Bicus noſter poſt Commodi ætatem floruiſſe. Quod ſi

conjectura minus probatur, incerto prorſus tempori Bicum, relinquemus. Sequitur in Inſcriptione nationis notitia, & unde Bicum *Natione Floentinum* intelligimus. *Floentinum* puto pro Fluentino ſcriptum propter promiſcuam apud Veteres duarum vocalium O, & V uſurpationem. Fluentini certè Catoni, & Plinio *lib.* 3. *cap.* 5. Populi *ſunt præfluenti arno appoſiti*; Bicum propterea ad arnum diſcimus originem traxiſſe. Aliquis fortè Florentiæ Urbi adſcribet, quam *Fluentiam* dixere Priſci. Verùm Fluentinorum appellatio videtur Plinio latior fuiſſe, quod & Lapis indicat, ubi non Patria, ſed natione *Floentinus* Secutor hic nuncupatur, qui certè ſatis Adoleſcens ſe ludo dedidit, ex XXII. enim, quos vixit annis, XIII. pugnavit; propterea ut annos natum XV. digliadiari cœpiſſe ſit affirmandum. Quæret aliquis, quo in loco, qua in Urbe pugnaverit? Jam ſupra Gladiatorum pugnas in Amphitheatro peragi conſueviſſe, *Diſs. cap. X.* affirmabamus. Sanè hoc Mediolanenſis videtur eſſe Amphitheatri luculentiſſimum monumentum. Etenim, etſi mihi certo non conſtet, ubi olim hic Lapis, utrum ſcilicet in Urbe, an in agro Mediolanenſi extaret, antequam in Archintorum, in qua nunc viſitur, Domo collocaretur; mihi tamen Mediolanenſe monumentum certiſſimè eſt, qui noverim, Octavii illius Archinti Viri Nobiliſſimi, æque ac Eruditiſſimi, à quo tam multi Lapides conquiſiti fuere, & in ſuas Ædes benigniſſimè excepti, conſilium fuiſſe præcipuum, ut Patriæ, cujus honori impensè ſtudebat, antiquitati, atq; remotiori memoriæ conſuleretur. Neque obſtat natio illa externa, Gladiatoris, quam Lapis prodit, novum enim non eſt hos ab exteris quoque gentibus fuiſſe evocatos. Certè Lapis Veronenſis apud Maffejum, *Iſtor. degli Anfit. lib.* 1. *cap.* 14., ut ipſe quidem tenet, ad Veronenſe Amphitheatrum pertinens, *GENEROSI* cujuſdam *RETIARII, PATRIA ALEXANDRINI* memoriæ poſitus fuit; propterea ut Fluentinum quoque Bicum in Mediolanenſi Arena pugnaſſe non ſit diffitendum. OLIMPIAS IIII inſcriptio me-



In Aedibus Archintorum

memorat, ſeu rectius *Olympiades*. Sanè in hoc Lapide *Olympias* pro integro quinque annorum ſpatio accipitur. Nam quo pacto XXII. anni Olympiades tantummodo IIII perficerent, ſi pro quatuor, (ut communius obtinet) tantummodo annorum fluxu acciperetur? In hanc ego meſſem, quæ extra rem noſtram eſt, falcem non moveo. Animadverto quidem apud nonnullos Poëtas per quintum Solaris anni curriculum Olympiadem exprimi. Seneca in *Herc. fur.*

Quantus Eleum coit ad Tonantem
Quinta, cùm Sacrum revocavit, æſtas.

Ovidius *de Pont. lib.* 4. *Eleg. 6. v. 5.*

In Scythia nobis quinquennis Olimpias acta eſt
Jam tempus luſtri tranſit in alterius.

Non me tamen latet ſic quintum annum accipi poſſe, ut & quintus ſuperioris, & primus ſequentis Olympiadis eſſet. Hæc ad qualemcunque noſtri Lapidis illuſtrationem appoſuimus; Chronologis tamen hujuſmodi computationem diligentius diſcutiendam relinquimus. Quæ ſequuntur in Epigrammate, duarum Bici Filiarum, & Uxoris ejus, ac temporis, quo ille nupſerat, notitiam produnt. Quæ ſequuntur ob detritos characteres, tam confuſa, tam dubia ſunt, ut nihil de iis dicere malim, quam aliquid conjecturis divinari. Iconem vide, quam hîc diligentiſſimè delineavimus unà cum Inſcriptione.

X.

ERuditorum ſanè gratiam inire nos opinamur, eamque ut ſperare juvat non vulgarem, hanc, quæ præclariſſima eſt, Jovis Aram exactiſſimè depictam promulgaturi, & De-

Doctorum Virorum ſcriptis illuſtraturi, cujus notitiam quidem alii tradidere, Iconem verò neque appoſuit quiſquam æreis formis, neque manu, (ut in M.S., de quo infra) ſatis exactè delineavit. De hac mentio apud *Montfaucon Tom. 2. par. 1. lib. 3. pag.* 178. in hæc verba: *Sacrificium exhibitum in Lapide Angleriæ eruto*: (Illinc revera in Archinteum propylæum tranſlatus), *Gruter. p.* CVII., *cujus figuram non habemus, Jovi certiſſimè fuit oblatum, cujus rei ipſa Inſcriptio fidem facit, nec non Aquila in altera Lapidis facie ſculpta.* (Adde, & fulmen in utroque latere expreſſum), *Sacerdos velato capite Pateram effundit in Aram non ſolidam, ſed virgis, baculiſque nixam.* (In hoc fallitur Montfauconus, ut ex appoſita imagine apertiſſimum eſt. Ignoſcendum tamen Viro ceteroquin diligentiſſimo, non enim, aut Lapidem, aut ejus Imaginem viderat). *In eo viſitur Tibicen duplici ludens tibia, & victimarius, qui Taurum ducit.* Ille hucuſque. Duæ tamen aliæ figuræ extant, ſcilicet Adoleſcens cum acerra, & alius quidam, manum dexteram ad aurem tenens. De illo nihil peculiare eſt, quod animadvertam. Hic quidem mihi unus de Spectatoribus videtur, quibus cum *ſacro digna ſilentio* myſteria prodere nefas eſſet, propterea, ut ex Hiſtoricis accepimus, averſa illi facie interdum adſtarent, aut ne ſacra quidem intuerentur, quo ſibi facilius eadem eloqui interdicerent; Hic fortè ob eandem cauſſam auriculam ſibi manu claudens exprimitur, ne, quæ proferret Sacerdos arcana verba, exaudire poſſet, propterea neque effutire unquam, aut promulgare; Sed modò quæ in præſtantiſſimam hujuſmodi Sculpturam, Viri diſertiſſimi Alciatus, atque Valerius commentati ſunt, quoniam hucuſque in MSS. latuerunt, publici juris faciamus ex Codice Nob. Co. Donati Silvæ, cujus in Diſſertatione ſæpe meminimus. Animadverto tamen ab Alciato *Simpulum*, vas uſui Sacrificiorum accommodatum, & in poſtica marmoris parte expreſſum, pro galea acceptum fuiſſe: perperam, ut nobis quidem videtur. Verùm utriuſque animadverſionem jam Lector accipito. At

„ At in tutelari Delubro (Angleriæ Oppidi ad Verbanum locum jacentis) ſculptum hoc monumentum non litteras haſce tantùm, ſed & inſignes Statuas habet: à fronte ſacrifica turba: à tergo Jovis ales Aquila, & munificentiæ ſignum Cantharus, ſicut fortitudinis galea, quod Jovi Optimo Maximo dictum trophæum ſignificat. *ALCIATUS*.

„ Si quis fortè miretur, cur Alciatus de antiquitate, legali ſcientia, humanioribuſque litteris tam benemeritus marmor hoc vetuſtate præcipuum inſigni Sacerdotis, Tibicinis, ac aliarum perſonarum Jovis Sacrificio adſtantium cœlatura nobile, & Aquilæ Scuto, ſeu Patera cum Simpulo, & Cantharo inſidentis emblemmate conſpicuum, nec non illuſtri Curtiorum familia, & memoria clarum, ſicco, ut ajunt, pede pertranſierit; Sciat Alciatum Virum Senatorem fuiſſe multiplici negotiorum forenſium cura, & mole gravatum, gravioribuſque Studiis intentum, atque ideo exiſtimaſſe ſe in publica commoda peccaturum, ſi hæc tam levia uberiore calamo, & impenſius conſectatus fuiſſet. Nobis autem, qui poſt Divina Officia per Vicos, & Plateas animi recreandi gratia vagari non licet modicum, quod ſupereſt, in has veteres ſpectationes explicandas impendimus tempus; quo, ut ſunt hominum ab antiquis temporibus vita exutorum, & nos mortales eſſe moneamur; utque iſti Curtii Diis vanis Sacrificium exhibuerunt, ita & nos Chriſtianæ Religionis ſectatores Deo noſtro corda dicare, & eidem opera, & labores noſtros in Sacrificium exhibere debeamus.

„ I. O. M. Tres iſtæ litteræ apertè demonſtrant Sacrificium iſtud Jovi Optimo Maximo factum fuiſſe, quæ duo Epitheta Deorum, atque hominum Regi, ut veteres exiſtimarunt Poëtæ, maximè conveniunt. Præponitur autem, ut ſit optimus, ideſt beneficentiſſimus, quàm maximus; quia majus ſit, & gratius prodeſſe omnibus, quàm opes, vim, & poteſtatem, ac Fulmina in hominum terrorem, ac perniciem habere. Hinc Cicero pro domo ſua: *quocirca te Capitoline,*

„ *quem*

» *Et ductus cornu stabit sacer Hircus ad Aras.*

» Ubi verò aliqua in re non admodum gravi, victima minus » probata fuisset, vino aspergebatur optimo inter cornua fuso, » hac enim ratione putabant reddi idoneam, & sanctiorem fie» ri, qui mos non utebatur, nisi in sacris Deorum Superorum, » quemadmodum notat Servius ad ea Virgilii carmina *Libri* » *Æneidos VI.*

» *Ipsa tenens dextra Pateram pulcherrima Dido*
» *Candentis Vituli media inter cornua fundit.*

» Quamvis verò præcipua Jovis victima esset Bos, invenio ta» men tam apud Græcos, quàm Italos, Tauros etiam eidem » fuisse immolatos; quandoquidem Athenis, Erechteo imperante, » primum ab eo in Jovis Polici Ara immolatum Bovem, seu » Taurum, narrat Cœlius Rhodiginus *Libro XII. Cap. VI. litte-* » *ra C.* Et Tauri victima Bœotios Jovem coluisse, auctor est » Pausanias *in Bœoticis*. Athenienses verò ab his in cibis non » abstinuisse testatur Theon relatus à Rhodigino *Libro XII. Cap.* » *primo*. Apud Italos verò nulla melior probatio afferri potest, » quòd Jovi sit immolatus Taurus, quàm ipsius Virgilii, qui » nil unquam ignoravit, celebris auctoritas, dum ait

» *Cœlicolum Regi mactabam in litore Taurum,*

» quo loco multi licet Virgilium inscitiæ sacrorum insimu» lent, ut Macrobius refert, & Servius ibi contra rationem » id esse dicat, quod Taurus sacrificetur Jovi, ut inde pu» tetur prosequutum esse prodigium, de quo ibi agitur: Ta» men revera Virgilius non est reprehensione dignus, quia » Taurum immolatum scribat, quando vetustus hic mos abo» litus omnino fuerit, & loco Bovis, Taurus immolatus. » Et Statius loquens de sacro Jovis, *Libro Thebaidos secundo*, » sic ait.


» *Tunc*

Pag. 147. I



In Aedibus Archintorum

Pag: 147. II.



» *Tunc ferus ante ictum spumis delubra cruentat*
» *Taurus, & obstantum mediis è cœtibus exit.*
»
» Nec quisquam dicat Statium non errasse, aut Ovidium, quan-
» do inducit *primo Fastorum* Herculem, Taurum Jovi immolan-
» tem: nam uterque ad Græcum scitè morem allusit, cùm de
» personis Græcis ageret; at Virgilium non esse excusandum,
» qui contempto more Romano, Taurum in Italiam victimam
» Jovi immolaverit. Verùm ab hac calumnia Virgilium vin-
» dicat Arnobius Orthodoxus Scriptor antiquissimus, qui *Libro*
» *VII. contra gentes*, Taurum in Italia Jovi sacrificatum, hisce
» verbis ostendit. *Quid adplicitum Jupiter ad Tauri habeat san-*
» *guinem, ut ei debeat immolari, & non aliis*. Memoria penè lapsus
» eram, cùm de victimæ probatione paullo ante agerem, He-
» bræos quoque ex lege Mosayca, deformia, & maculosa ani-
» malia in Sacrificiis offerre, & immolare, esse vetitos, ex Le-
» vitico Capite II., IX., & XXII. Et Deutheronomio XV., &
» XVII. Et Malachiæ primo. Videatur Hieronymus Maggius
» *Miscellaneorum Libro IV.* *JACOBUS VALERIUS.*

Hæc ad anteriorem Aræ partem explanandam retulimus. Sed latus quoque dignum animadversione est. Duo illud vascula continet, ex quibus surgentes (nisi fallimur) hæderæ ab ima repunt ad supremam partem, inter quas fulmen insculptum, certissimum Jovis, cui Ara dicata est, argumentum. In postica parte Aquila Pateræ insidens, ex qua duæ eleganter vittæ dependent, insculpta est, & in utroque superiori angulo, vasa duo ad Sacrificii ritum spectantia cernuntur pendula; in dextero quidem *Simpulus*, non *galea*, ut Alciatus supra exposuit, & nos ipsi animadvertimus, & in lævo *Cantharus*, seu ut alii interpretantur *Gutturnium*. Damus hoc loco duplici in Icone integram Aræ speciem. In prima faciem ejus cum imminenti Inscriptione, sinistrumque latus, (idem habet & dexter) In altera posticam partem Aquila insignem, de qua mox agebamus.

X I.

DUo nobis monumenta ſpectandæ vetuſtatis, March. Guidonis Mazentæ Ædes exhibuerunt. Alterum eſt marmor quoddam triplici in parte, non una tamen manu, cœlatum. Habet hoc in una fronte dimidiam hominis figuram, cui imperitorum Artificum injuria, frontis, craniique ſuprema pars fuit multò ante adempta; cùm olim ſcilicet nulla veteris monumenti, ſed Lapidis tantùm ratione habita, obverſam memoriæ faciem, latuſque ejus dexterum, epiſtylii, ſive ut ajunt, *Capitelli* ſculpturæ, in magna fortaſſis Lapidum carentia, opportuna crediderunt. Quocirca Agnorum ibidem quorundam imagines, ineptè quidem, ſed ita expreſſerunt, ut duplicis, qui nempe faciei, & lateri reſponderet, unum eſſet Agni caput in angulo prominens, & ſummam *Capitelli* partem abſolvens. Hæc mihi videtur Chriſtianorum fuiſſe Sculptura ſequiori ævo peracta, cùm ipſi ethnicorum monumenta omnia abolere, aut ſanctius uſurpare niterentur; quapropter eam hominis effigiem, de qua ſuperius, negligentes, eandem cœmentis obduxerant, & in muro clauſerant, cùm eum Lapidem, pro ſacræ alicujus Ædis ſtruendæ opportunitate, in eum epiſtylii uſum traduxiſſent. Inditio ſunt, inepta recentioris illius Sculpturæ ratio, & Agni forma, quam in Chriſtianis Templis vetuſtioribus frequentiſſimam, aut finxiſſe, aut appinxiſſe priſcos Religionis noſtræ Cultores intelligimus. Eo pacto, in noſtro nos Lapide duplex habemus Antiquitatis *mnemoſynon*; Ethnicum, & Chriſtianum. Sub illa dimidia hominis effigie, quam initio deſcripſimus, hi ſunt eleganter inſculpti characteres. C GEMIN. prorſus illæſi. Qui ſanè *GEMINI*, ſive *GEMINII*, (non enim ob mutilum marmor ſatis poteſt alterutrum dignoſci) cujuſdam, eſſe illud Signum declarant. *Geminiorum* certè monumenta quædam Mediolanenſia habemus apud Alciatum, & Cicerejum.

XII. Pag. 149



XI.



In Aedibus
March Mazentae

rejum: *Alciati monum.* 17. *ex M. S.*, cujus toties meminimus.

C. GEMINIVS
ELEGANS
VI VIR SEN SIBI
ET GEMINIO
LEANDRO
VI VIR SEN PATRON
ET GEMINIAE PRIVATAE
LEANDRI PATRONAE
ET GEMINIAE
TYCHES VXORI SVAE &c.

Et apud Cicerejum *mon.* 4.

CENTVM
GEMINIA
LEGAVIT

Quapropter de *Geminio* potius, quàm *Gemino* ſuſpicari licet, cujus effigies, nomenque, à temporis, & adverſarum manuum injuria aliquando ſublatum prodierit, & benefitio item noſtro, hìc formis expreſſum, in longam revixerit poſteritatem.

X I I.

ALterum eſt præſtantiſſimi Simulacri fragmentum, pectore tenus illæſum, & in candido marmore coloſſeam Adoleſcentis ſpeciem repræſentans. Elegans oris forma, & imberbis; brevis cæſaries; veſtis ſinus ſiniſtrum humerum tegit: Capite caniſtrum, niſi fallimur, impoſitum gerit. Niſi, inquam, fallimur: Etenim ob truncum marmor

in

in superiori parte, non licet certissimè de canistro decernere. Fortassis alicui corona muralis esse poterit, quamquam, ut ego sentio, minus ritè. Nam quæ in lateribus prominent partes, cùm in Lapide satis exiles sint, jam illæ non Turres, sed canistri compages referre videntur. Marmor ipsum dubitationem omnem adimeret, nisi esset, ut diximus, superius exæsum. Puto itaque Serapidis Simulacrum fuisse, *cujus vertex insignitus calatho, & altitudinem syderis monstrat, & potentiam capacitatis ostendit*, ut ex Macrobio expresse didicimus. Eum siquidem *pingebant gestantem capite panarium*, & in quibusdam imaginibus *circumdatum juncis, cum sarmentis vineæ, & aliis ramulis*, Gronovio teste, *in gemm. antiq. num.* 1. Et Licetus *lib. 6. cap.* 115., eum in summo vertice modium tenentem describit. Fuit *Serapis* Veteribus, idem ac *Osiris*, & *Bacchus*. Notum illud Martiani Capellæ *lib.* 2.

Te SERAPIM Nilus, Memphis veneratur OSIRIM.

illudque Ausonii ex Græco translatum.

Ogigiæ me BACCHUM vocant,
OSIRIM Ægiptus putat.

Propterea de illo apud Tibullum *lib.* 1. *el.* 7. egregia extant carmina ubi, & munerum, & signorum ejus, & canistri, calathi, seu cistæ illius, mentio aurea in hos sensus.

Primus aratra manu solerti fecit OSIRIS
Et teneram ferro sollicitavit humum
Primus inexpertæ commisit semina terræ
Pomaque non notis legit ab arboribus &c.

deinde non multò post:

Non

Non tibi ſunt triſtes curæ, non luctus, OSIRI,
Sed chorus, & cantus lenis, & aptus amor:
Sed varii flores, & frons redimita corymbis,
Fuſa ſed ad teneros lutea palla pedes:
Et Tyriæ veſtes, & dulcis tibia cantu,
Et levis occultis conſcia CISTA ſacris.

Ea item imberbis oris elegans forma, quam in Signo noſtro deſcripſimus, Serapidi convenire videtur, quem pro Baccho, leni ſanè, & imberbi Deo, Priſci venerarentur. Has pro Serapide adduximus qualeſcunque conjecturas; Nihil tamen pro certo decernimus; præcipuè cùm Caſtilionæus in *Vincentianis Antiquitatibus*, duas quaſdam Icones promulgaverit huic ſimillimas, quas ille pro Urbium Simulachris, non perperam exponit: Verùm cùm litteræ quædam extantes in marmore illi potiſſimum expoſitioni ſuffragentur, & eorum verticibus indubiæ Turres impoſitæ, non idem fortè de Simulachro noſtro affirmandum eſt, cui nullæ ſunt litteræ inſcriptæ, Urbem aliquam ſignificantes, neque capiti adjectum tam certum inditium, de quo jure dubitari nequeat, utrum muralem coronam, an calathum ſignificaret. Tu Judex eſto, Lector.

X I I I.


E Noſtrorum M. SS. penu aliquod item proferre juvat: Stylobatem affero, quem in Monumentorum quorundam Mediolanenſium collectione Innocentius Eccleſia, mei Ordinis Vir Diſſertiſſimus, ac editis etiam nonnullis operibus celebris, in M.S. *pag.* 192. nobis propoſuit, & diligenter expreſſit. Eſt hic in utraque fronte, ac lateribus ſculptus. Pars antica Lupum refert cum ſuperpoſita Inſcriptione.

I O M


I O M
COELIVS BARO
VOTVM
V S L M

Postica, Bovem habet insculptum. Ab utroque latere lemniscus supernè impendet. Dexterum, Gutturnium, & Pateram, cujusmodi apud *Montfaucon* nonnullæ extant, manubriatam repræsentat. Sinistrum verò, malluvium, puto, (non enim in M. S. satis feliciter vas illud Ecclesia meus calamo expressit), & vasculum operculo clausum tenet. Lapis hic, illo scribente, Malgessi extitit; Etenim sic ad appositam Iconem adnotavit. *Et hic egregiè fabrefactus Stylobathes Malgessi juxta Fanum D. Michaëlis non longè à Besutii pago, transeuntibus se offert.* Nihil ille plura in hujusmodi sculpturam. Constat tamen *Cœlii Baronis*, fuisse ex voto elaboratam, nam illud, Inscriptionis verba manifestè significant. In qua quidem illud mihi mirum accidit post ea verba. *COELIUS BARO VOTUM*, statim has fuisse notas adjectas V S L M, quas cùm omnes interpraetentur Antiquitatis scientes: *Votum Solvit Lubens Merito*, vel *Votum Solvit Libera Mente*; videtur verbum hoc *Votum*, ibidem perperam geminari. Verùm sic ego *Baronem* illum, Stylobatis, & Epigrammatis Auctorem tuebor, ut non unam, sed quasi duas apposuisse Inscriptiones in eodem Lapide, credendum sit. Prima enim verba ad conceptum animo *Votum* referenda sunt: Postremæ autem quatuor notæ, *Votum* re ipsa solutum, statuto jam, & insculpto Stylobate significabunt. Verùm quid Lupi in anteriori, quid Bovis in posteriori fronte, Imagines designant? Sanè Bos *JOVI* congruit, cui victima immolabatur, ut superius ex Jacobo Valerio in illud Jovis Sacrificium, retulimus. Quæ item

Pars Antica



Pars Postica



Ex Ms. Innoc. ab Ecclesia.

item in lateribus extant vascula insculpta, Sacrificium indicant, cujus usui Veteribus inserviebant. Quod ad hanc partem attinet, res esse videtur manifesta. At Lupus ille, non levem mihi dubitationem gignit. Lupum quidem Sacrum Apollini voluere Prisci; quin ipsum Apollinem, *in Lupo* coli solitum, apud Ægiptios Macrobius affirmat, *Saturnal. l.* 1. *cap.* 17. Fuit & Marti dicatus ex Servio, unde *Martius* sæpe apud Poëtas appellatur, sive *Martialis*. Virgilius *Æn.* 9. *v.* 565.

Quæsitum aut matri multis balatibus Agnum
MARTIUS à stabulis rapuit LUPUS.

Horatius *car. lib.* 1. *Od.* 17. sub Pastoris allegoria de capellis loquens:

Impunè tutum per nemus, arbutos
Quærunt latentes, & thyma deviæ
Olentis, uxores, mariti:
Nec virides metuunt colubros,
Nec MARTIALES hædilia LUPOS.

Quid ad Jovem hìc loci pertinet? Ego tamen non ita Lupi hujus Imaginem interpretor, ut quasi pro victima dicata Jovi, eum Lapidi affictum putem, verùm ad indicandam magis Sacrificii, Votique, Stylobatis, & Victimæ caussam, ibidem scalpro factum affirmaverim, quod, aut *Cœlius Baro* ipse, aut grex ejusdem fuisset aliquando à Luporum morsu, aut cæde servatus. Quod dum nos suspicabimur, hujus tibi conjecturæ, Lector, judicium relinquimus, dum Iconem ipsam Stylobatis, & sculpturarum ejus supponimus.

XIV.

PErgit Ecclesia meus in eodem M. S. *pag.* 193. alium Lapidem affabrè scalptum appingere, & nobis proponere in hæc verba. *Isprae ad Sinistram ripam Verbani Lacus, Stylobathem Mercurio dicatum, sequentemque memoriolam nuper effossam, Alciatum æmulatus*, (hæc ipse fecerat Alciati M. S., sua additamenta) *apposui. Tu Lector, æqui bonique consule, si temporis, & Paganorum hominum injuria verba excidere.* Marmoris facies Suem habet incedentis in modum egregiè scalptum, cui litteræ hujusmodi impendent

MERCVRIO
CO: :IN

Cetera temporis vi periere. In dextero latere, præter lemniscum affixum supernè maluvium adest, & gutturnium. In lævo item, sub lemnisco vas orbiculare cernitur perforatum, Urnaque, & ingens Culter Victimarius, cujus formam *Montfaucon* Eruditiss. *Tom.* 2. delineatam proposuit. Testantur hæc *Cominii*, (sic enim illud CO: :IN supplendum esse existimo) in Mercurium religionem, cui is sacrificia, de quibus apposita lateribus instrumenta admonent, & Victimam dedicavisset. Victimam autem Sus ille in fronte prominens designare videtur. Fateor equidem novum mihi, pro Mercurii hostia, Suem accidisse. Mercurio enim Vitulum immolabant Ethnici, ut ex Ovidio colligimus 4. *Metamorph.*

Dis tribus ille focos totidem de cespite ponit.
Lævum MERCURIO, dextrum tibi bellica Virgo
Ara Jovis media est. Mactatur Vacca Minervæ,
ALIPEDI VITULUS, Taurus tibi Summe Deorum.

Ei-

XIV



Isprae ad Verbanum Lacum
ex M.S. Innocentii Ceclesiae

Eidem lac, & linguas Victimarum offerebant, teste Natali Comite, *Mithol. lib.* 5. Sus autem, *CERERIS* potissimum frugum potentis, Victima erat; nam ex Ovidio *Metamorph. l.* 15. iccirco

. . . . prima putatur
Hostia Sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerat rostro, spemque interceperat anni.

Fastorum autem *Lib.* 1.

Prima Ceres avidæ gavisa est sanguine Porcæ
Ulta suas merita cæde nocentis opes.
Nam sata, verè novo, teneris lactentia succis,
Eruta, setigeræ comperit ore suis.

Cibelli quoque, seu Telluri immolabatur, Laribus, Manibus, Silvano, Veneri, Jovi interdum, ac Marti. Tamen & in nostro Marmore, devota *MERCURIO* hostia Porcus apponitur, duas potissimum ob rationes, quas hic, nisi nos conjectura fallit, in medium proferimus. Extat apud Suidam illud, nescio cujus antiquissimi Scriptoris: ἐς χοιρίδιον δάνεισόν μοι τρεῖς δραχμάς: *ad Porcellum emendum mutuo mihi tres drachmas: De iis, qui vel morituri, vel initiandi erant, qui enim initiabantur, Porcellum immolabant, quo viderentur in numerum piorum referri.* Hæc Suidas, quæ fortassis aliquo pacto Lapidem illustrare videbuntur, cùm ad eam Mercurii in solutas hominum à Corporibus Animas potestatem animadverterimus, de qua Horat. *Lib.* 1. *Od.* 10., eundem alloquens ait

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coërces
Aurea turbam.

Et unde Virgilius *Lib.* 4. *Æneid.* de eodem:

> *Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco*
> *Pallentes, alias sub tristia tartara mittit.*

Fortè igitur Stylobatis Auctor, aut morti suæ præmaturè consulens, aut moriens, *Suem* Victimam dedicavit, quam Mercurio mactarent, ut in *lætas ipse piorum sedes*, propitio illius Numine referretur. Alia esse conjectura qualiscunque poteſt, quod ex Macrobio eruimus, *Saturnal. Lib.* 1. *cap.* 7. *MAJÆ* scilicet honori Suem mactari consuevisse; quam cùm *MERCURII* Matrem esse non ignoremus, forte ob eam quæ Matrem, ac Filium intercedit cognationem, eandem aliquando *MAJÆ* propriam, pro *MERCURII* cultu hostiam cæciderunt. Habes hìc, Lector, Marmoris delineationem. Alterutra ex nostris, aut si mavis, neutra utere conjectura. Gratissimum accidet inscitiam nostram, quæ tua est, eximia eruditione aliquando humaniter emendari.

X V.

ARchintorum nos iterum vocant antiquæ spectationes, quas inter, una visitur exigua quidem, & satis brevem figuram repræsentans, non sine tamen animadversione prætermittendam. Extat hæc in ima parte prægrandis cujusdam, & eleganter inscripti Lapidis, cujus verba hìc adducimus sculpturæ impendentia

C. ATI-

C. ATILIVS. C. F.
IVSTVS
SVTOR. CALIGARIVS
SIBI. ET
CORNELIAE. EXORAT
VXORI. PI.

Hæc sanè Sculptura, eam veram reddit Ciceronis sententiam *Tuscul. quæ. l.* 1. dicentis *Opifices etiam post mortem nobilitari velle.* In ea siquidem, Atilius ille visitur caligariam Sutrinam exercens, & subulam sinistra distringens, quod & arguunt scabello superposita calepodia, seu quod latinè dicimus, formæ calceorum. Hanc ego Sutoris imaginem diligenter inspexi, formasque illas potissimum, seu caligas scabello insidentes consideravi, si fortè, de caliga antiquorum aliquod inde erui posset. Verùm cùm & nimis exigua caligarum forma sit, & Lapis ipse aliquanto detritus, omnem quidem operam lusi, quod ad hanc partem attinet, non indignum autem existimavi Eruditorum oculis ejus Icunculam fore, si aliquando ederetur, quod modò facere instituimus.

X V I.

SUculæ *Mediolanatæ* effigiem, cujus in primo usque meminimus Dissertationis ingressu hoc loco apponere decrevimus. Digna sanè est prudenti consideratione. Monumentum hoc Franciscus Cicerejus MS. nostro *Lib.* 2. *Mon.* 3. inter prætermissa ab Alciato recensuit, & in illud quædam ad-

adnotavit, quæ pro Sculpturæ hujus illustratione tibi subdimus, Lector, qualia ipse descripsit. *De Urbis,* inquit, *Mediolani nomine, atque appellatione eorum, qui de illius originibus scripserunt, tres sunt opiniones, ac sententiæ. Earum una, coaluisse ex duobus nominibus, altero Thuscorum Ducis Olano, altero Insubrium Principis Medo: quæ ex M. Catonis originibus, (si tamen ejus sunt, quæ habentur) colligitur, & quidem ex illis verbis.* Olanum ante ab Thuscorum, qui cum Orobiis colonis ibi primus insedit, quorum origo incerta, uti Comi, Bergomi, Lycinophori, & aliquot circa Populorum; inde ab Insubrium Principe, nomine Medo adaucta, Mediolanum nomen servat. *Altera quæ est Volaterranni; sic dictam à nomine relicti Mediolani à Gallis Insubribus, à quibus condita fuisse dicitur: Quæ verisimilior evadit ex eo quod T. Livius ait Historiarum Lib. quinto, dum de Gallis ita loquitur.* Ipsi per Taurinos, saltusque Juliæ alpis transcenderunt, fusisque acie Thuscis, haud procul Ticino flumine, cùm in quo consederant, agrum Insubricum appellari audissent, cognomine Insubribus pago Heduorum, ibi omen sequentes loci, condiderunt Urbem, Mediolanum appellaverunt. *Nam si condendam Urbem in eo agro externo existimarunt, qui pagum, quem ipsi haberent in patrio solo, nomine referret; probabile quoque fit illos id nominis Urbi potissimum indidisse, quod & domi habuissent. Tertia à Sue dimidia ex parte lanata, hoc est non minus lana, quàm setis vestita, appellatum Mediolanum; qua in sententia Ambrosium ipsius Urbis Numen tutelare, & Sidonium Appollinarem fuisse legimus. Manifestum est idem sensisse & Claudianum, qui eleganti usus est illa circuitione*

Continuò sublime volans ad mœnia Gallis
Condita lanigeræ Suis ostentantia pellem
Pervenit, adventu Veneris, spissata recedunt
Nubila, rarescunt puris Aquilonibus alpes.

Quam

Quam quidem nominis notationem, veteres item Mediolanenses maximè probasse, argumento esse potest illa Suculæ vetustissima effigies, quæ adhuc in una earum Buleuterii fornicum, quæ ad horologium vergunt ita expressa conspicitur, ut admissam setis lanam habere videatur, & in hunc quidem modum. Hæc Cicerejus, præter quæ nihil habemus nos præstantius, quod in eam Suis effigiem adnotemus.

XVII.

SErpentem illum æreum, ac celeberrimum, in Ambrosiana Basilica extantem, hoc loco proferimus; quem, etsi Mediolani minimè fabrefactum sciamus, inter Mediolanenses tamen Sculpturas conjicimus, quoniam ab antiquis multò temporibus in Mediolanensium venit dominationem. De illo superius *in Dissertatione* nonnulla disscussimus adversùs eorum opinionem, qui pro Epidaurio Serpente, eundem venditarunt. Nunc esset cum iis decertandum, qui pro Mosaico sibi confixerunt. Nos quidem inter aniles fabulas istorum sententiam rejecimus. Illud enim est apertissimum, quod *Reg.* 4. *cap.* 18. de Ezechia Rege accepimus: *confregitque Serpentem æreum, quem fecerat Moyses. Siquidem usque ad illud tempus Filii Israel adolebant ei incensum;* quæ verba, nisi perperam distorqueantur, ita significant fuisse confractum, ut illi novos adhibere honores minime Israelitæ valerent, unde egregiè Augustinus *lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 8. = *Quem sanè Serpentem Ezechias Rex religiosa potestate Deo serviens cum magna pietatis laude CONTRIVIT*; scilicet minutatim fregit, id enim *contero* verbum significat: Et Hieronymus *in Isaj. lib.* 11. *cap.* 28. de eodem Ezechia: *Perfectionem cordis in eo nunc dici, quod Idola destruxerit, Templi valvas aperuerit, Serpentem æneum COMMINUERIT*; ac mul-

multò demum apertius *in Lib.* 4. *Reg.* Cirillus: *Confregit* (Ezechias) *Serpentem æreum &c.*, *& PULVEREM EJUS SPARSIT*. Hæc certè superstitem istum Mosaicum anguem, pro quo nonnulli Mediolanensium decertant, non minus quàm Ezechias ipse, satis atterunt, & infringunt. Atque hoc contra Boscam potissimum certat, qui cùm Ambrosianum Anguem triplici in loco fractum, & ibidem ferruminatum animadvertisset, pro Mosaico confestim decantavit; putavit enim confracti ab Ezechia Serpentis frusta iterum coagmentata, pristinum Mediolanensibus Moysis Anguem restituisse; Illudque etiam magis obstat, quod ex eodem *Lib.* 4. *Reg.* legendum occurrit, scilicet conflatum Anguem illum fuisse, unde ibidem additur, *Vocavitque nomen ejus* (Serpentis) *Nobestan*, quod *purum æs* interpretatur. Quod si fortè aliquis hariolando putet ex illo ære, Ezechiæ jussu tum fuso, novum deinde hunc Mediolanensem Colubrum coaluisse, nos qui non divinatione aliqua, sed argumentorum solida vi, atque ratione consequi veritatem disceptando nitimur, quæstionem mittimus, neque enim in hac diutius libet disputatione immorari. Unum moneo, Serpentem hunc æreum ab Arnulpho Mediolanensi Episcopo, Mediolanum Constantinopoli revertente, delatum fuisse Anno C. 1002. In hoc omnes nostratum historiæ consentiunt, uno Sorexina dissentiente *apud Puricellum*, *Monum. Amb. num.* 201., ejusque Serpentis erectionem, D. usque Ambrosio in Sanctorum Martyrum Basilica tribuente. Verùm hic cùm ad Arnulphi res gestas narrandas pervenit, eumdemmet Arnulphum, eo Serpentis dono ab Imperatore Constantinopolitano honestatum affirmat. Quocirca aut is nobis minimè officit, aut sibi ipse contradicit. Est igitur Signum hoc multa antiquitate, nulla autem aut veteri, aut præsenti religione, spectandum: Columnæ insidet cujusdam maculosi marmoris, cui parvum, columnæque illi ineptum, suprapositum est epistylium. Iconem & Serpentis, & Columnæ Bosca promulgavit, satis quidem



In Aedibus

XVI



p-
od
na

is
c-
c-
ū-
r-
bi
on
re
er
m
a,

n-
n-
æ

m
cl
S.
q
E
tr
g
m
cr
ta
Il
ge
ur
be
ha
vt
qu
ate
ſti
tar
ab
tir
on
ſer
Se
Ma
res
Se
tur
ipſ
nu
Co
col
ner

dem ſcalpiam. Nos paullo elegantiori graphio inciſam apponimus; atque hìc quidem inter veteres Sculpturas, quod Anguem hunc inter *Abraxes* hierogliphica Veteribus ſigna fortaſſis conjici poſſe opinamur.

XVIII.

PUeri Imago in diffiſſo licèt ſtylobate, eoque ad Olitoris Caſam in Hortis Archinteis jacente, & prope neglecto, non eſt equidem à nobis parvipendenda; eſt enim & periti Sculptoris manu cœlatâ, & rei ipſius ſignificatione conſideranda. Puer eleganti forma ſiniſtra manu facem inverſam, ſeu ut ego interpretor, extinctam tenet; dextera ſibi capillitium vellere videtur. Funebre illud ſignum eſſe non dubito. Res autem ex iis, qui in ſiniſtro ſtylobatis latere ſe produnt characteribus in confeſſo eſt. Ibidem enim inter cetera mutilâ, atque exeſa tria hæc, aut quatuor, quamquam difficillima conſpicatus ſum verba, non contigua quidem, ſed multum inter ſe diſſita in hunc modum.

ATILIAE..
. . . .
CONTVBERN..
. . . .
. . . .
....HIC IACET

Præterea geſtus ipſe, & habitudo inſculpti Adoleſcentis funeſtum aliquid manifeſtant. Vellebant enim ſibi comas Antiqui in funeribus, unde Troades apud Senecam Hecubæ ita jubenti *verſ.* 82.

Fidæ casus nostri Comites,
Solvite crinem: per colla fluant
Mæsta capilli, tepido Trojæ
Pulvere turpes:

his versibus respondent

Solvimus omnes
LACERUM MULTO FUNERE CRINEM.

Nec dissimilis lugendi consuetudo apud Lucanum præscribitur *lib. 2. vers. 36.*

. . . . quarum una madentes
Scissa genas, planctu liventes acta lacertos,
Nunc ait o miseræ contundite pectora matres,
Nunc LANIATE COMAS, neve hunc differte dolorem.

& Ovidius de Tibulli morte *vers. 50.* ritum funeris describens

Hic certè manibus fugientes pressit ocellos
Mater, & in cineres ultima dona tulit:
Hic soror in partem misera cum matre doloris
Venit inornatas DILANIATA COMAS.

Inversa Fax autem, eaque extincta, Pierio Valeriano Teste *Hyeroglif. lib. 46. cap. 24.* = *Amatorum funera indicat.* Atque huic quidem, qui in nostro cernitur stylobate affabrè scalptus Puerulo, sive Amori, quem hanc fortassis significare imaginem non diffitemur, allusisse videtur Ovidius suprarelatus eâdem Elegia *de Tibulli morte* cum ita cecinit

Ecce

XIX



In Aedibus Archintorum

XVIII pag: 162.



In Aedibus Archintorum

Ecce Puer Veneris fert eversamque pharetram,
Et fractos arcus, & SINE LUCE FACEM.

Illud accedit quod Ethnici Animam ipsam in igne positam, seu particulam quandam ætherei ignis esse arbitrabantur, quod liquet ex Cicerone *in Somn. Scipion.* ita docente: *Animus datus est* (Hominibus) *ex illis sempiternis ignibus, quæ sydera, & stellas vocatis*, ac etiam ex Plutarcho *de defect. Oracular.*, & *de Placitis lib.*4. manifestè deducitur. Propterea & illud apud Virgilium *Æneid. 6.*

Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit,

paullo autem post, de cunctis animantibus

IGNEUS est illis vigor, & cælestis origo.

unde meritò Porcius Licinius:

Quæritis ignem? ita huc. Quæritis? IGNIS HOMO EST.

Ignis igitur à face discussus, sublatam Hominis vitam jure significat, quod hæc ipsa designat Icon formis expressa.

X I X.

GEnium multiplicem Deum, sic Prisci putabant, ut cuicunque prorsus rei pro tutela Genium suum præficerent, quocirca illa apud Prudentium *adv. Simmach. l.* 2. legimus carmina

Quamquam cur Genium Roma mihi fingitis unum?
Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Adsignare suos Genios.

Hinc ejus pingendi exprimendique varia prorsus forma extitit. Anguem pro Genio sæpius accipiebant, unde illud Virgilianum de Angue *Æn.* 5.

Incertus Geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet.

& Propertii *lib.* 4. *Eleg.* 8.

Lanuvium annosi vetus est tutela Draconis.

Sub humana tamen specie etiam figurabatur, non una tamen, quod Horatius expressit *epist.* 2. *lib.* 2.

Scit Genius, natale comes qui temperat astrum
Naturæ Deus humanæ, mortalis in unum;
Quodque caput, *VULTU MUTABILIS*.

Multiplices certè ejus affert Icones *Monfaucon*, ad quem te mitto. Hanc tamen, quam hoc loco promulgamus elegantissimè sculptam in candido marmore Imaginem, Genium significare opinamur. Aligerum refert Adolescentulum demissa dextera racemum uvæ tenentem, sinistra autem sub axilla Corbem, seu ut malim, Cadum amplectentem. Neque alæ dissuadent, quas Genio (pro Amore siquidem non raro Veteres acceperunt) scimus fuisse tributas. Alati visuntur sane pueruli colludentes, quos pro Geniis exponit Leonardus Augustinus *Parte* 2. *n.* 21. *Ad Gemmas antiquas.* Racemus item, & vini cadus, Genio maximè conveniunt, cui

cui licèt mola salsa interdum sacrificarent, ut versus significant Calphurnii Siculi *Eclog.* 5.

> .... *tu cespite vivo*
> *Pone focum, Geniumque loci, Faunumque, Laremque*
> *SALSO FARRE voca;*

vinum tamen potissimum offerebant, unde Persius *Sat.* 2.

> *Funde MERUM GENIO*

& Horatius lib. 3. Ode 17.

> ...... *cras GENIUM MERO*
> *Placabis, & Porco bimestri,*

Libro autem Epistolarum secundo *Epist.* 1.

> *Tellurem Porco, Silvanum lacte piabant*
> *Floribus, & VINO GENIUM memorem brevis ævi.*

Verùm inter cetera Veterum Poëtarum loca, quæ nostram hanc elegantem Genii sculpturam illustrare maximè possunt, nullus, si video, quadrat magis quàm ille Tibulli dilectissimi mihi omnium, purgatissimique Elegum Scriptoris, cum Genium non modò vino saturum, sed madidum potius figurari jussisse videtur, ita differens.

> *Ipse suos adsit GENIUS visurus honores,*
> *Cui decorent sanctas florea serta comas.*
> *Illius è puro distillent tempora nardo,*
> *Atque satur libo sit, MADEATQUE MERO.*

Profectò is probe vino satur, & madidus esse queat, qui & race-

racemum uvæ, qualis in noſtro marmore, & ejuſdem Corbem, ſeu vini potiùs cadum ſibi deferat, ut hunc quidem habere, appoſita ſpectatio manifeſtat. Fortaſſis & ex illo, quem ſupra adduximus Prudentii loco, Cellæ vinariæ Genium indicare poſſet, cui Cellæ, non ab re eſt opinari, Mediolanenſem aliquem, ſuum præfeciſſe *GENIUM*, maximè cùm ex iiſdem *apud Suetonium*, Tricongium illum extitiſſe accepe-rimus; qui huic ſanè *GENIO* tanquam omnium ſummo Numini videtur indulſiſſe. Hæc valeat utcunque conjectura.

X X.

MAgiorum illuſtre monumentum, olim ad Ambroſianum Monaſterium effoſſum, nunc autem ad ruſticam Cultorum domunculam in pariete collocatum in Hortis Archintorum, duas hominum figuras continet dexteras jungentium, quorum alter forcipem ferrarium diſtringit; habetque lapis in ſuperiori vertice Solis imaginem, cui malleus, & forceps utrinque circumſtant, eam autem in ima parte, quam mox in appoſita ſculpturæ delineatione, proferimus Inſcriptionem. De hac non prætereunda ſanè ſpectatione, Alciatus, Cotta, & Valerius (breviter illi quidem, hicverò latius) ſcripſere. Horum omnium eruditas animadverſiones ex laudato ſæpiſſimè MS. proferimus, quibus demum, aliquid & nos adjiciemus.

„ Magiorum (*habet Alciatus*) quoque familia, quæ „ adhuc in Urbe eſt celebris, habebit quo antiquitatem „ ſuam tueatur, ſi hujus vetuſtiſſimi monumenti ſculpturam „ in teſtimonium adduxerit, quod ab ejus Templi (*Ambroſiani*) cœnobitis nuper effoſſum, & luci reſtitutum „ eſt. Sanè malleus, & forfex in tumulo ſculpti, ipſorum „ Magiorum artis indicia ſunt, moris enim apud veteres „ fuiſſe hujuſmodi ſepulchris inſcribere, indicat diſticon, „ cujus auctor Sappho leſbia proditur, ita latinè redditum.

„ Hic

„ *Hic pater hamiferum posuit Pelagona Meniscus.*
„ *Et remum & vitæ retia signa malæ.*

„ Sic etiam apud Virgilium Miseno Æneas imponit:

„ . . . . *suaque arma viro, remumque tubamque.*

„ Divi Ambrosii Monachi tanta cura Cœnobium erigi, „ ædificarique curarunt, quanta penè dixerim in hodiernam diem nullus. Hic dum ut fundamenta parietibus „ præpararent, tectores terram effodiunt marmoreum eruere monumentum, quod pulcherrimè sculptum duorum „ virorum continet imagines, quorum junctis dexteris forcipem alter ferrariam tenet hoc subdito epigrammate. „ *SEX. MAGIUS* &c. *CATELLIANUS COTTA*: „ Magiorum familiæ invidorum & detractorum, Sol in hac „ marmorea spectatione insculptus oculos perstringet; qui „ ex forcipe & malleo incisi, illius nobilitatem jam illustratam tenebris offundere non bene conantur. Antiqui cùm „ homines quosdam præstare viderent hos ipsos plusuqam „ homines, hoc est Deos, seu Semideos putabant: quare „ cum his ipsis cari fuissent viventes, magnum sui desiderium mortui relinquebant. Unde & simulachra eorum „ primum finxerunt ad solatium, & inde etiam defunctorum memoriam colere cœperunt. Solis igitur in primis „ effigiata imago, viri claritatem significat; nam hujusmodi „ viri, qui in natura, & inter homines altius caput extulerunt, Lumina nuncupabantur, juxta veterem auctorum „ interpretationem: (Sic enim Circe fingitur Solis filia, „ quia clarissima fuit meretrix, & nihil est Sole clarius,) „ vel quia plurimis, & egregiis defuncti istius factis Sol „ exhilaratus sit sæpius. Solem enim Prisci putabant & rebus hominum honestis exhilarari, & eorum turpibus, nefariisque factis commaculari. Ad quod alludens primo „ Georgicorum Virgilius sic ait:

„ *Ille*

" *Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam*
" *Cùm caput obscura nitidum ferrugine texit,*
" *Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem;*

" qua de re Petrus Victorius agit *Variarum lectionum libro*
" *XXV. capite XVIII.* Sic in sepulchro Josue fortissimi He-
" bræorum Ducis fuit posita similitudo Solis, in memoriam
" mirabilis illius facti, quod Solem à solito ejus cursu fecit
" stare, ut habetur Josue *capite* X., ut omnes transeuntes
" stipendiarias lacrymas darent pro morte tanti Ducis, pro
" quo Deus tam insigne miraculum fecisset. Non tamen pu-
" tandum est in hac spectatione malleum, & forcipem in-
" sculptos, vilis, & sedentariæ artis, quæ Sextus hic Magius
" exerceret, indicia esse, prout ex Lesbiano distieho, quod
" Petrus Cantonius J.C. celeberrimus, & amicus ita vertit.

" *Nassam cum remo posuit Palagona Meniscus*
" *Vitæ in piscatu Mnemosynon miseræ,*

" quod videtur innuere Alciatus, sed potiùs *Patroni*, vel
" Liberti decori, ejusque dignitatis insignia esse censeo,
" quia fortasse Præfectus Fabrum fuerit, cujus auctoritas
" maxima erat in castris, & exercitu, ut apud Historicos
" & rerum Scriptores satis constat. Sit instar omnium lucu-
" lentissimum Julii Cæsaris, testimonium de bello civili *libro*
" *primo*, qui Cn. Magium Cremonâ Præfectum Fabrum Cn.
" Pompeji extitisse commemorat. Non inficior tamen quin
" opinio Alciati possit esse vera, cùm iste Sextus Magius li-
" bertus esset, cujus Inscriptio nullum Magiorum nobilitati
" potest afferre præjudicium; cùm D. Matthæus Valerius
" recolendæ memoriæ Carthusianus, frater meus incompa-
" rabilis, cùm in humanis Prior Carthusiæ Papiensis ageret,
" in loco Mayrani stylobatem marmoreum apud Ecclesiam

" mihi

„ mihi oſtendit, in quo C. Magius Juſtus non libertinæ, ſed
„ ingenuæ conditionis homo Jovi Junoni, & Minervæ vel
„ ſacrum fecit, aut votum perſolvit. Aram, quæ pro latice
„ piaculari ibidem deſeruit, ita inſcriptam tibi bona fide
„ damus.

„ IOVI
„ IVNONI
„ MINERVAE
„ C. MAGIVS
„ IVSTVS

„ Hic obſervare poſſumus non eſſe inconveniens, ut liber-
„ tus patronus eſſe poſſit, diverſis tamen reſpectibus. Nam
„ reſpectu Domini, qui eum manumiſit libertus ſemper
„ erit, reſpectu verò eorum, quibus ipſe libertatem dedit,
„ dicetur patronus. l. Modeſtinus C. V. D. de verborum
„ ſignificatione, & in alio monumento Sulpitii, quod etiam
„ à nobis infra poſitum eſt ſervus cum aliis manumiſſus di-
„ citur Collibertus.

„ SEXTUS MAGIUS Nomen, & prænomen Patro-
„ ni aſſumpſit. Nam ſervi apud Romanos, ut à Cicerone,
„ Plinio, Quintiliano, & Carolo Sigonio ſcriptum eſt, cum
„ manu mittebantur Domini nomen, & prænomen accipie-
„ bant, ejuſdemque cum domino familiæ cenſebantur. Hinc
„ Pomponii Attici ſervus Dionyſius, poſtquam vindicta li-
„ ber factus eſt cœpit appellari M. Pomponius Dionyſius,
„ ut Cicero *Libro IV. Epiſtola XV.* ad Atticum ſcribit; in
„ cujus roborationem fuerunt M. Tullio Ciceroni duo li-
„ berti, quorum alter M. Tullius Tyro; Alter M. Tullius
„ Laurea dictus fuit, cujus conſuetudinis meminit etiam
„ Lactantius *Libro IV.* Inſtitutionum, & Tertullianus; ac
„ latius explicat Politianus in Miſcellaneis, & in diſpun-
„ ctionibus tradit Alciatus. Hinc Perſius *Satyra Quinta.*

 „ .... *Hic*

" .... *Hic Dama est non tressis Agaso,*
" *Verterit hunc Dominus, momento temporis exit*
" *Marcus Dama.*

" Porrò isti servi magna solemnitate manumittebantur, &
" fiebant liberti &c. *Valerius hucusque.*

Verùm & illa, quæ in sculptura cernitur manuum conjunctio, non est sine consideratione à nobis prætereunda; erat siquidem Priscis fidei, amoris, concordiæque *Jeroglyphicon* perpetuum. Hinc in Gemmis veteribus, & Numismatibus junctæ manus sæpius occurrunt ob hanc ipsam, de qua agimus significationem appositæ. In Nummo Vitellii conspiciuntur cum hac Epigraphe: *FIDES EXERCITUUM*: In alio Nervæ ferè eodem lemmate adjecto: *CONCORDIA EXERCITUUM*; Et in eo similiter Vespasiani, ubi complicatis invicem manibus caducæum, papavera, & spicæ supereminent, ita legimus: *FIDES PUBLICA*. Manuum item conjunctio Servio *in Lib.* 1. *Æneid.* docente *Majorum* (seu Veterum) *fuerat salutatio*. Cui rei, Virgilius ibidem alludens Æneam ab aufugiente Matre deceptum ita querentem inducit:

Quid natum toties, crudelis, tu quoque falsis
Ludis imaginibus? CUR DEXTRÆ JUNGERE DEXTRAM
Non datur?

eodemque Libro inferius habet

Lætitiaque, metuque avidi CONJUNGERE DEXTRAS
Ardebant.

cui



In Hortis Archintorum.

cui simile ilud *Lib. 6.*

. . . . . . *Da JUNGERE DEXTRAM,*
Da Genitor, teque amplexu, ne subtrahe nostro.

Hic sane mos, ad nos usque traductus, vel in presentem diem perseverat, ut Amicos scilicet, hospites, & quoscunque nobis notos, aliunde venientes dextrarum conjunctione salutemus.

EMENDATIONES, & ADDITAMENTA.

Num. I.	pag. 126	evexerant	EMENDA	erexerant
	pag. 127	quæſtus		queſtus
		myſterium		magiſterium
	pag. 128	foſoriæ		fuſoriæ
Num. III.	pag. 129	***ad ea verba*** **ad Fanum Victoris** Martii	ADDE	(nunc extat in Ædibus Viri humaniſſimi March. Mazentæ)
Num. IV.	pag. 130	*ad ea verba* ad D. Victorem	EMENDA	(Nunc quo extet in loco fruſtra exquiſivimus)
Num. VI.	pag. 133	habeo		abeo
Num. VIII.	pag. 138	areas		arcas
Num. IX.	pag. 139	Secutorem		Secutorum
Num. X.	pag. 145	Menaniæ		Mevaniæ

DE

DE CARCERE ZEBEDEO

APPENDIX ALTERA,

Ubi quædam de Sancto Alexandro Thebææ Legionis Martyre, qui in eum detrusus est, vetusta monumenta nunc primùm promulgantur, & notis illustrantur, nonnulla autem de Ecclesia, in quam Carcer ille migravit, S. Alexandri vulgò *in Zebedia*, breviter afferuntur.

MONITUM.

CUm Mediolanensia hucusque Ædificia, ac monumenta, quantùm ingenii vis, ac rerum antiquitas ferret, illustrare attentius conaremur, idem, à nobis suo quodam jure postulare, offitium videbatur, nostrum hoc, cujus in Ædibus scribimus, & in quo universam hanc lucubrationem confecimus Domicilium; quod quidem cùm in vetusti Carceris, quem Zebedeum Prisci nuncupaverant, vestigiis positum intelligeremus, non modo propter loci famam, verùm etiam propter hospitii meritum, aliquam & sibi facem admoveri desiderabat. Quod aggredi hoc certè loco decrevimus, quanquam & vetustate rei, & temporis injuria, seu (quod sæpius accidit) negligentia hominum, satis ad eum finem exigua suppetant monumenta. In eum quidem, quod detrusum aliquando D. Alexandrum è Thebæa Legione invictissimum Martyrem accepimus, multum est quo loci Sanctitatem

tatem præcipuè celebremus. Propterea non alienum à re ipsa fore visum est, si in hujus Martyris historiam illustrandam, paullo digredemur. Quod ut perficere valeremus multa de eo, pervetusta monumenta, Bergomi potissimum, ubi is mortem oppetiit gloriosissimam, exquisivimus, in quo sedulam nobis operam Bergomenses Viri aliquot præstantissimi navaverunt. Neq; pauca eorum diligentia consecuti sumus, quorum nonnulla promulgare hoc loco decrevimus.

Atque ejus quidem Passionem dabimus ex antiquo Codice pergameno, quod in Bergomensis Cathedralis Tabulario custoditur, & quem (ut nobis Antonius Maria Adelasius ejusdem Ecclesiæ Primicerius, & Canonicus *Archivista* significavit) blattis corrosum, & characteribus X. circiter, aut XI. sæculo respondentibus conscriptum scimus. Ne quis tamen existimet ejusdem tempestatis, Scriptorem narrationis, quæ in Codice continetur Auctorem fuisse. Multò enim est ille antiquior, qui, ut ego sentio, Adonis Martyrologium antecessit. Ado siquidem mihi ex hac historia in Martyrologium suum conjecisse videtur, quæ sub die VII. Kal. Septembris de S. Alexandro descripsit, licèt ipse non omnia, sed aliqua tantummodo compendii caussa decerpserit, quæ scilicet historiæ seriem producerent; plura omiserit, quæ caput narrationis sunt, & quæ nonnullas identidem continent Tyranni, aut Martyris Sermocinationes. Verba enim sunt prorsus eadem, licèt per saltus exscripta, quod facere interdum Compilatores solent, non autem ii, qui rem aliquam latius narrandam, aut describendam suscipiunt, quemadmodum de S. Alexandri passione Auctorem MS. nostri fecisse est manifestum. Ex qua Codicis interruptè describendi ratione illud etiam accidit, ut Ado caput historiæ negligens, & quædam identidem ex textu ommittens, nonnulla manifestè confundat, quæ licèt diverso prorsus in loco peracta, quasi in uno eodemque loco gesta exponit. Certum enim est passionem hujus Martyris, ut

ex

ex multis liquet, de quibus in notis ad MS. nostrum agemus, Mediolani cœptam, Bergomi autem consummatam; Ado autem videtur quæcunque narrat, tanquam Bergomi gesta proposuisse. Qua item Boninus Mombritius nota laborat, qui ex Auctore quidem nostro licèt non ex eodem Codice (variant enim quædam verba) manifestissimè; passionem hujus, de quo agimus Martyris in sua Sanctorum Acta Tom. I. conjecit, eam tamen non leviter mutilavit. Omisit enim integrum initium, quod plura scitu digna compræhendit, & circa finem alia quædam præteriit, pauciora sane, sed quæ propter locorum distinctionem non erant mehercule negligenda. Nos igitur integram dabimus Thebæi hujus invictissimi Militis passionem, antiquitate, & fide probandam, siquidem ut ab ejus exordio liquet, eam Auctor talem descripsit, qualem in Martyris ipsius *gestis*, ut ipse inquit, sive *Actis*, invenit. Non desunt equidem, quæ sint paullo attentius discutienda, quòd per notas suis in locis adjiciendas diligenter, quantum facultas subit, præstare instituemus. Præter hoc aliud quoque MS. edere mens est, Missam scilicet vetustissimam de eodem Sancto in Tabulario Bergomensi repertam, quæ propriam habet de eo Præfationem, aliaque nonnulla, ex quibus publicam lucem jure mereatur. Multa sane alia, potissimum ad Martyris nostri translationem, & Sepulchri ejus cultum præclarissimum pertinentia, ex Caroli Crassi Imperatoris, & Adelberti, qui Berengarii Italiæ Regis tempore vivebat Bergomensis Episcopi, Diplomatibus colliguntur. Verùm hæc jam Ughellus *de Episcopp. Bergomens.* cùm evulgaverit, ab iisdem propterea nos abstinemus. Alia quoque non desunt ab humanissimis Viris data, cujusmodi *Offitium Monasticum desumptum ex MS. Breviario pergameno Monasterii Sancti Sepulchri de Astino* ejusdem Bergomensis Urbis; *Particula veteris Kalendarii ad festum, & translationem Martyris nostri conscripta*: Bona item pars *MS. Codicis Vitæ S. Gratæ, quam Beatus*

Pi-

Pinamons de Brembato, *S. ipsius Dominici*, *ut perbibent*, *Socius composuit*, in qua de S. Alexandro multa narrantur. Sed illa apud nos retinuimus, quorum aliqua, minimè necessaria videbantur, alia nimis recentia. Illorum tamen ubi opus fuerit testimoniis nitemur pro notarum usu, si quando res postulabit. Hæc cùm prætiterimus, de illa demum, in quam vetus Carcer migravit *S. Alexandri*, vulgò *in Zebedia*, non ignobili Ecclesia disserre mens est, cujus veterem præstantiam (de recenti enim conticemus) quæcumque comendent, quantum legendo consecuti sumus, breviter exponemus.

I.

De existentia, nomine, ac situ Carceris Zebedei.

VEtustum quendam Carcerem, cui Mediolanenses Zebedei agnomen dedisse intelligimus, extitisse olim, & per Maximiani potissimum Herculei tempestatem includendis, torquendisque Martyribus usui fuisse, ex nonnullorum, qui in eum detrusi fuerunt, Sanctorum historiis, sed ex D. maximè Alexandri, Thebææ Legionis Martyris strenuissimi Offitio, quod Ecclesia recitat Bergomensis manifestissimè liquet; in eo siquidem hæc continentur. *In CARCERE ZEBEDEO vinctus, invictus Alexander cum suis Commilitonibus divina colloquia habebat, per quæ Custos, & Satellites Christi fidem receperunt.* De existentia itaque nihil est, quod disputemus. Magis equidem quæstionem movet nomen illius, sive appellatio. *Zebedeum*, seu *Zebediam* Mediolanenses dixerunt; unde autem difficile est probabilibus assequi conjecturis. Alii Ferarum Carcerem, seu Stabulum ita vocatum, loco nomen indidisse opinantur. Alii à *Zebedeo* quodam Custode Carceris agnomen deducunt. Alii à *Zebaida*, seu *Zebedeo* item ejusdem Auctore. Profectò in Au-

Auctorem videtur nomen illud, magis referendum, opinarique aliquis non immerito potest, quemadmodum Romæ à Tullo Rege, Tullianus extitit Carcer, Mediolani à *Zebedeo*, seu *Zebaida*, *Zebedeum*, seu *Zebaideum*, agnomen fuisse sortitum. Verùm me nomen ipsum *Zebedei* non latinum, verùm hebræum prorsus, hærere jubet. Neque hinc tamen opinio Puricelli in MsS. quæ Camillus Sitonus *Appar. ad Tract. de Mediol. Ædific. item MS.* commemorat, arridet magis. Vult ille eam denominationem à proximo Vico, cui titulus marmoreus: *VICUS ZEBEDEORUM* originem deduxisse. Sane *Zebedei* isti unde Vicus appellatus, familiæ alicujus nobiles Viri fuissent, ex quibus ut Billiorum, Platorum, Vicecomitum Viæ vel in præsens dicuntur, & ille fuisset *Zebedeorum* Vicus nuncupatus. Mitto nunc sapientioribus Viris discutiendum, an inter veteres, easque præstantissimas Mediolani familias, *Zebedeorum* propago ista annumeretur. Ego quidem neque in nobilium familiarum censu, quem ad calcem *Theatri Secundæ Romæ* Jo. de Sitonis à C. sæculo XII. ad XVIII. contexuit, neque in ingenti earundem serie apud Morigiam reperio. Verùm & Carcerem, & Ecclesiam, quæ in Carceris locum, ut infra ostendemus, successit, minime sentio à non multum quidem remoto, dissito tamen Vico, nomen deduxisse; cum sciamus cuique etiam affini cum aliis viæ, suum atque id peculiare nomen inesse. Præterea non S. Alexandri Zebedeorum, sed in *Zebedia*, vel ut vetus Instrumentum habet confectum anno usque 1217. die 12. Martii, in *Zibidia*, subrogata Carceri Ecclesia, dicta est; quod indicat non familiæ alicujus aut viciniam, aut dominationem, aut profusam in illam liberalitatem, sed locum quendam, eo nomine jam antea nuncupatum. Tandem ille mihi titulus marmoreus: *VICUS ZEBEDEORUM*, multum recens est, quod ipsa caractherum forma indicat, præterea autem, quod apud neminem legimus viis olim Priscos, nominis titulum in marmore ap-

 posuisse,

posuisse, unde illum suspicari licet, ex arbitrio recentioris alicujus inscriptum fuisse, nullamque in præsens argumentum habet auctoritatem.

Situs quidem vetusti hujus Carceris multo est certior. Fuit autem ubi vetus erat Ecclesia S. Alexandri. Qui ut distinctius innuatur, sciendum multo humiliorem, & angustiorem Martyris hujus ædem fuisse, cui nunc sublime, augustum, omnique ornamento elegantissimum veterum è mea Cleric. Reg. S. Pauli Congregatione Virorum solertia, ac religione Templum assurgit. Illa autem non in eodem cum hoc loco fuit. Hoc siquidem, non modo amplitudine veterem situm excedit, verùm aliquam vix partem attingit. Sita erat vetus Ecclesia, ubi nunc locus recentis Odæi, seu ut ajunt Chori, & Perystilii, quod domesticæ ambiunt Ædes nostræ. In Odæi quidem, vetusta frons, & integrum ferme veteris fani corpus; in Peristylii situ caput, & vetus Odæum fuit, quod tamen dimidiam circiter Peristylii ipsius aream tantùm explebat. Et ob hanc ipsam loci dispositionem illud est, quod olim in Litaniarum solemnium supplicatione, non tertia, ut nunc, verum secunda die, veterem S. Alexandri Ædem Clerus adibat, ut apud Beroldum, cujus nos *in Diss. cap.* 1. meminimus: Erat siquidem Romanæ viæ proximior, per quam *ad S. Alexandrum*, deinde *ad S. Jo. ad Concham*, sacrum agmen tendebat. Carcer igitur in hoc ipso loco extitit, quem tamen utrinque paullo excessit. Argumento sunt ingentia quædam veterum murorum vestigia, quæ cum Recentis Templi fundamenta jacerentur, reperta accepimus, inter quæ, stratum quoddam lapidibus pavimentum, unde detractum marmor in novo ipso Templo appositum fuit, cum hac Inscriptione:

DE

DE MARMOREO PAVIMENTO CARCERIS IN ZEBEDIA S. ALEXANDRI.

Marmor iſtud in præſens ſublatum, (cauſſam ignoro) ejuſque loco in utroque, qui Aram majorem includit, ac Odæum reſerat pariete hoc depictum Epigramma, duas tamen in partes diviſum, ita ut prima pars dexteræ, altera ſiniſtræ, quæ in illis ſunt parietibus, Januæ impendeat, in hunc modum:

OLIM	NVNC
MARTIRI CARCER	DIVO TEMPLVM.

Illud accedit, quod cùm non multis ab hinc annis, ea, cui Ædes noſtræ circumſtant, area complanaretur, ibidem quoque latiſſima quædam fundamenta apparuerunt ex immanibus lateribus compacta, quorum aliqui à me ipſo viſi, cubiti, ſive ulnæ Mediolanenſis menſuram longitudine, duas autem ejuſdem menſuræ partes latitudine excedebant. Accipio item à Viris quibuſdam Collegis noſtris, qui rei interfuerunt, in ea parte, ubi murus anguli cauſſa, inflectebat, eundem exterius non angularem, ſed rotundam, quemadmodum antiqua habent propugnacula, figuram habuiſſe. Quæ omnia ſi priſci illius Carceris veſtigia affirmaverimus, non temerè futurum illud credo, atque hinc item confirmatum iri exiſtimaverim, quod mox opinabar; vetus ſcilicet Alexandri Fanum in eodem quidem ubi Carcer loco extitiſſe, Carcerem tamen Fani ipſius, cùm ſtaret, ambitum exceſſiſſe.

II.

D. Alexander è Thebæa Legione Martyr, in Zebedeum Carcerem detrusus. Ejusdem Passio, ex MS. Bergomensi Codice nunc primùm integra apponitur, & notis illustratur. Vetustissima de eodem Missa in Tabulario Bergomensis Cathedralis reperta promulgatur.

PRæclarissimum *Zebedei* Carceris ornamentum, unde illum jure optimo prædicare possimus, illud ipsum est, quod supra attigimus; D. scilicet *ALEXANDRUM* invictissimum Martyrem in eo detentum, non modò traditione hominum, verùm & scriptis, de quibus supra, testimoniis perhiberi. Hoc ego cùm intelligerem, meo dignum labore existimavi, quando alia de Mediolano multa illustraveram, istum quoque Carcerem paullo exornare ob hoc ipsum, quod Martyris illius strenuissimi, dura ipsi licet, nobis tamen, qui in eodem moramur loco, gloriosa mansione celebretur. Facere autem institui hoc loco, neque alia ratione, quam ea, unde multa in isto Conclavi, Martyrii ejus occasione gesta proferrem, quin integram Passionis ejusdem seriem ex veteri aliquo, eoque fide digno (quod Eruditis Viris non ingratum fore arbitror) Monumento persequerer. Quocirca non ea te pigeat, Lector, audire, quæ de illius Martyrii actis multò antiquitus scripta, hìc promulgamus, & illustramus. Ac de Auctoris hujus Historiæ, de Codicis unde detracta est, de ea, quam meretur fide, nihil hoc te loco docemus, de his enim satis in eo Monito diximus, quod universam hanc Appendicem antecedit.

Inci-

Incipit Passio Beatissimi Martyris Alexandri.

SUpplicationibus Catholicæ Fidei, sobriè, ac disciplinaliter oblatis loquens, Carissimi Fratres, astantibus vobis, precor, ut communi solatio vester concursus sincerus appareat sacræ lectionis jubilo. Sanctorum quoque Martyrum miracula, quæ per eos omnipotens Deus mundo volens, ostendit præcipua feriatis mundi negotiis, curisque supervacuæ cogitationis ablatis, mente pura, eique tota intentione conjuncta, patulisque auribus conticentes audite, atque intenta ora tenete. Hac igitur celebrantes natalitia, nullo erroris incursu hæreticorum vos fallant dogmata, qui negligenter intuentes fidei rudimenta, insanæ mentis oraculo censenda errore stridebant apocripho. Sed cum sacris literis utriusque legis nos regulariter imbutos non dubitatis, oportet Canonicis institutis eruditos credatis, & ideo Sanctos Martyres fideliter passos non abnuatis. Eo namque affectu Sanctorum Martyrum acta indubitata fide perscribimus, quo eos Catholica mentis vivacitate Catholicum dogma custodisse præscimus. Unum credentibus ædificationis exemplum præbemus. Christi militibus arma, quibus contra Diabolum dimicent, & propugnaculo sigillo defensionis munita movemus. Scribimus quidem ea, quæ Sancti Martyres egerunt, ut in eorum gestis invenimus, & ea, quæ pro nomine Dei Summi passi sunt, vobis fideliter innotescimus. Etenim audire, quæ à Sanctis acta sunt, negligenter, imitatores eorum esse, contemnimus. Loquimur divinas virtutes, prædicamus insignia. Cessent ergo eorum æmulorum verbosantium præstigia; parati enim sumus pro veritate certantes temporalia sustinere supplicia. Quia ergo gloriosiores erimus, quò pro veritatis duce certantes triumphum ad patriam propriæ habitationis reportabimus. Gaudium nempe aderit in Cœlis magnificum, cum debellatis vitiis truculenta rabies amari hostis spectabit suæ dejectionis cautiûm, *& nostræ reparationis videbit spectaculum, nec non & summæ remunerationis calculum. Quoniam quæ Sancti*

Mar-

Martyres persecutione passi sunt dira, nos in occulta vitiorum excitatione quotidie patimur mira, & in eorum vexatione virtutum, favente Domino, successerint arma, quibus pænæ nostræ fragilitatis succumbere poterint membra. Sed quia Custos noster, qui de nocte vigilans, custodire suos non desinit, illorum altius *subitò floridus illico evanescit, & nec jam ultro virium compos exilit, ut conterere famulantes viriliter possit.*

Temporibus igitur crudelissimi, atque sævissimi Imperatoris Maximiani, qui adversùs Athletas, & Cultores Christi (1) *dura, &*

In D. Alexandri Martyris Passionem

NOTÆ.

(1) Doctissimus Pagius sub anno 297. de Martyrum Agaunensium, seu Thebæorum Martyrio agens. *Tempus Passionis* eorumdem *incertum* esse affirmavit. Unum monet, persecutionem Maximiani adversùs Christianos à Militibus cœpisse, cujus tamen, anno 298. affigit initium. Id ego tamen non improbaverim, quòd Vir dissertissimus luculentis testimoniis confirmat. Verùm si fortè per illud tempus Thebæorum Martyrum, quippe Milites essent, cædem accidisse significaverit, non ei facilè addicam. Mihi sane posterior videtur, & tum peracta, quando jam non in Milites tantùm, sed in cunctos sæviebat Christianos Maximianus, scilicet post septimum Kal Martias anno 303., quo idem Pagius eruditissimè docet cœptum fuisse in universos Christianos animadverti. Rationem deduco ex legitimis Agaunensium Martyrum Actis ab Eucherio conscriptis, quæ *in Paullina illustrato*, Chiffletius promulgavit, ubi hæc pro sola, ac legitima Thebæorum Militum internecionis caussa perhibetur: quòd *hi cùm sicut & ceteri Militum AD PERTRAHENDAM CHRISTIANORUM MULTITUDINEM DESTINARENTUR, soli crudelitatis* ministerium detrectare ausi sunt, *atque hujusmodi præceptis se obtemperaturos negarunt*. Jam tum igitur *MULTITUDO CHRISTIANORUM* torquebatur, cujus *pertrahendæ* immane offitium Thebæi constantissimè recusarunt. Rite igitur, D. Alexandri Passionem in ea Maximiani tempora Acta nostra conjiciunt, quibus ille *adversùs Athletas, & Cultores Christi*, indiscriminatè, *dura, & aspera sumpserat certamina belli*. Verùm cùm de D. Alexandro loquimur paullò etiam posterius ceterorum Agaunensium Militum excidio, Martyrium ejus, saltem quod mortem spectat, affirmemus oportet. Illi enim X Kal. Octobris necati; Hic verò VII. Kal. Septembris extinctus, unde fluxisse menses XI. inter utrumque Martyrium colligimus. Quos menses partim gemina ejusdem ab Agauno Mediolanum, & Mediolano in Comensem agrum fuga, partim iterata, eaque longior in Carcerem nostrum

& aspera sumpserat certamina belli, Beatissimus extitit Maternus (2) *Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ fidelis Episcopus, qui erga ovile matris ejusmodi studiosus erat atque gratissimus, eò, ut ejus eruditissimis sermonibus Idolorum, ac Paganorum Templa detrimentum acciperent, & S. Ecclesia quotidie in Dei laudibus cresceret, ac studiosiùs in ejus jubilationibus triumpharet. Dum enim idem in crescendo Ecclesia sollicitus ageret, & ad erudiendum Christi famulos non minimam curam haberet, cui quisque nobilium, aut plebejum se libentius adhiberet, eosque videlicet, quos divina quotidie gratia jam inspexerat, parte aliqua illuminaret. Præstati* (3) *cujusdam illustris viri Fidelis nomine filius eidem se jungens libentissimè intra paucum tempus ab eo eruditus laureato habitu ibat. Hac occasione quidem pervenit ad Beatum Maternum Episcopum, ejusque se notitiæ reddidit benevolum, totiusque obedientiæ mancipavit discipulum. Informatus itaque in omni actione divina, at erat dilectus, celebrisque fidei asse-*

---

strum detrusio, partim extrema in Bergomensi Urbe commoratio, facilè absolvit; propterea, ut hunc in sequentem annum tantummodo gloriosa morte mulctatum intelligamus. Ex quo, cùm, ut diximus, post inchoatam in Christianos omnes persecutionem Thebæorum Legio, paucis tantummodo fugæ beneficio servatis, deleta fuerit, & XI. post hujus internecionem mensibus D Alexandrum Martyrio coronatum intelligamus sub Maximiano sanè, ut nostra hæc habent Acta, qui anno 305. ex Pagio, Kal. Maji purpuram exuit; jam certus Agaunensium Martyrum, cædis annus, quem tamen incertum Pagius ipse affirmavit, se illico manifestat; oportet enim anno C. 303. X. Kal. Octobres eosdem occubuisse. Ex quo item sequenti an. 304. VII Kal. Septembres D. Alexandrum immortali palma donatum fuisse non immeritò est affirmandum.

(2) Revera sub Maximiano, eoque Ecclesiam vexante floruit Maternus, ut omnes perhibent Mediolanenses historiæ. Illum enim, detrusos in Carcerem Christianos invisere, atque ad Martyrium vehementer cohortati solitum intelligimus in ejus Vita, quæ breviter descripta in Mediolanensi Breviario legitur, fusius autem apud Carolum à Basilica Petri *de Provinc. Mediolanens.* Quin ipse, à catenis, & carceribus liber minimè evasit, ut extat apud eundem *pag* 47.

(3) Hoc ad illustrandam utcunque D. Fidelis Martyris historiam conducit, de quo nimis pauca fueram legendo assecutus. Hinc ejus generis nobilitas, Patris nomen, summa in Deum, ac Martyres pietas erui potest.

assecla cum Beato Materno Sanctorum Martyrum solus circuibat ergastula, eorumque deosculans vincula consolabatur eos in omni viriliter agere constantia. Cùm ergo tantam solicitudinem in servis Dei detinerent, & non parva meditatione hoc agerent, ut si quos pro fide Christi tentos invenissent, nulla interdicente mora visitarent; Accessit eorum notitiæ Beatissimos Martyres, scilicet Alexandrum sacræ Legionis primipilarium, (4) *& Cassium, Severi-*

(4) De Primipilo, & Primo Pilo disertè agit Manutius *in Quæst. per epis. PRIMIPILARIUM* hic audimus Alexandrum nostrum, quòd scilicet ex *primo* esset *pilo*, sive ex prima Triariorum Centuria, quin ipse *Primipilus* esset, seu primus Triariorum Centurio, qui *Primipilaris* item ex lapidibus vetustis apud Manutium suprarelatum dictus est. Inferius quidem in Actis nostris, & in Monastico Offitio, de quo in Monito diximus, *Signifer* appellatur; Primipilo autem Aquilæ cura erat concredita, quæ singularum fuerat Legionum signum. Atque illud videtur hoc loco discutiendum, quod nonnulli perhibent, Thebæorum scilicet Legioni pro signo Arietem, seu vellus aureum fuisse. Hoc certè Baldesanus *Ist. Thebea lib.* 1. apertè docuit, ea ratione fretus, quòd cum Ægyptii sub Arietis specie Jovem colerent, nostra item Legio, quæ erat Ægyptia, nationis suæ quasi vexillum extulisset. Hoc item *lib.* 2 se eruisse ex veteri historia S. cujusdam *Amoris* Thebæi Militis ad se transmissa, affirmavit, quod Mutius etiam secutus est in Martyris nostri Vita. Hanc Arietis, seu velleris aurei pro Thebææ Legionis signo traditionem testari videtur quædam Imago marmorea, dimidiatum hominem repræsentans, quæ olim in dituta D. Alexandri Ecclesia extabat, nunc autem parieti affixa est in ejus vestibuli fronte, unde per *Scalam*, quam *Sanctam* vocant in præsens Templum ascendimus: Signiferum siquidem nostrum repræsentat, vexillum in sublime erigentem, in quo vellus insculptum, extantque utrinque incisi characteres ejus nomen significantes. Verùm hanc ego, non satis opinionem probo. Primo enim Baldesani conjectura mihi prorsus est arbitraria, ac parum verisimilis; non enim Christiani illi Milites religiosissimi pro Legionis suæ signo, aut vexillo, Jovis illius Imaginem extulissent. Cur autem Jovem illum potius, & non Osiridem, aut alium quempiam Deum (quorum tamen alios multos Ægyptii colebant) sub Bovis, Canis, aliusve Quadrupedis forma, aut hastis præfixerunt, aut vexillis appinxerunt? Deinde, aut eum pro universæ Legionis signo Arietem Baldesanus constituit, aut pro Centuriæ, aut Cohortis alicujus; neque enim his peculiaria signa antiquitus defuerunt. Universæ quidem Legioni non aliud signum, quàm Aquila præferebatur, a Marii secundo Consulatu deinceps, is enim reliquis signis abolitis eam tantùm hastis præfigi imperavit, quòd deinde servatum est, & Aquilam ipsam, non aliud signum, aut vexillum Primipilus (ut supra diximus) cu-

verinum, Secundum, atque Licinium Mediolani (5) *vinculatos haberi, nec non catenatos in Carcere detineri. Quod cùm audisset Beatus Fidelis Dei Cultor mirabilis unà cum Venerardo Materno Episcopo pervenit ad Consistoria Carceris. Introgressus verò intuens Milites Christi, qualiter detinebantur in Cippo* (6) *constri-*

---

stodiebat. Propterea si Martyri nostro aliud quodpiam vexillum, descriptumve in eo signum tradendum esset, Primipilum eundem negari oporteret. Verùm neque Cohortem ullam ex Thebæa Legione, Arietem præsignasse tum ex supra allatis fortè deduci potest, tum luculentius ex iis, quæ in veteri Opusculo *de Rebus bellicis* Theodosio usque, & Filiis ejus scripto, quod Frobenianis tipis Gelenius publicavit, extant veterum Cohortum descriptis signis. Inter ea siquidem habetur longè diversum ab Ariete signum, cui hic titulus impendet. *Prima Maximiana Thæbeorum*, exiguum autem habet in medio rotundum scutulum, quod inflexa sigmatis in morem, fascia intersecat. Ibidem aliud habetur cum hac Inscriptione: *II. Felix Valens Thebæorum*, sed ibidem gemini potius dimidiati utrinque Boves inter zonas quasdam crucis in modum dispositas conspiciuntur, nulla autem Arietis figura se præbet. Alia tria ibidem signa conspiciuntur, quæ Thebæam Legionem dessignant, sed ne in illis quidem ullum velleris, aut Arietis rudimentum. Neque permagni Marmorea illa Icon habenda est, quæ inferiori, seu imperito satis ævo insculpta, quo primum fortassis illa, de aureo vellere opinio inolevit. Atque hoc magis ipsa vexilli forma in marmore cœlata, confirmat; non enim fuit mos ille veteribus ingentis cujusdam lintei ad hastæ supremam partem assuti, qualem habet formam in nostro lapide incisum vexillum. Veteres hastis parvum quoddam linteolum baculo cuidam affixum appendebant, ita ut per lineam, quam orizontalem vocant, hastæ ipsius stipitem secaret, quo pacto innumera extant hujusmodi signa in nummis veteribus. Vexillum illud multò est recentius, unde neque hujus formæ, neque insculpti in eo velleris ulla ratio habenda est.

(5) Rite locus Carceris designatur, Mediolani scilicet, atque is quidem ille est, quem nos illustramus. Quæ sequuntur, singula animadverte, Lector; in nostro enim Carcere gesta, illius maximè honori vertunt. Sed quæret aliquis. Fuitne Alexander Mediolani, quò fugiisset compræhensus, an huc aliunde deductus? Res incerta. Tamen probabilius puto eum alibi captum fuisse, neque enim Maximiani iram fugiens Mediolanum venisset, ubi per ea tempora Maximianus ipse commoraretur. Offitium Monasticum, de quo supra, opinionem nostram tueri videtur. Habet enim *Lectione XI. = Beatus Alexander Signifer capitur, & Mediolanum ductus in durissimo Carcere, cum quibusdam suis Commilitonibus custoditur.*

(6) En peculiare Alexandri, Sociorumque, in Carcere nostro, *Cippi* supplicium. Cippus quidem hoc loco pro lignea trabe perforata ad includendum sumitur. *Nervum* Latini, instrumentum hujusmodi appella-

A a ve-

ſtricti ; videns itaque tanta conſtrictione afflictos , & cognoſcens futuræ remunerationis præmio glorioſos , deprecabatur , dicens : ut pro ſe intercederent , & convivam æternæ Patriæ , ac ſui ſocium ſuis precibus copularent . O Beati viri Dei , in quod deprecor vos , ut Chriſtum , per quem hæc patimini , rogetis , in quo creditis , quatenus me faciat participem veſtri convivii , & coronæ compotem ejuſmodi , veſtrique certaminis gaudio frui . Hæc , & his ſimilia proſequente B. Fidele , Sillanus , (7) *qui erat Cuſtos Carceris audiens , impius ſumma cum celeritate vênit ad Palatium , nunciavitque omnia , quæ à Sanctis audierat , & quod fortè viderat miraculum .* (8) *Duo igitur Commilitones , qui erant in Palatio nobiliſſimi , Carpophorus videlicet , atque Exantus* (9) *au-*

---

verunt, quod ligneum Oiſelius J. C. *in A. Gellium l.* 20., *c.* 1. fuiſſe contendit : *Lignum* dixere Scriptores Martyriorum , unde apud eos ſæpius : *in ligno teneri , in ligno conſtringi* . *Tranſverſaria* item apud Ciprianum , *epiſt.* 77. appellatur : *O pedes compedibus , & TRANSVERSARIIS cunctabundi , ſed celeriter ad Chriſtum glorioſo itinere curſuri* , ſcilicet tranſverſariis trabibus, quibus , ut habet Gregorius Turonenſis *in Vitis Patrum* , vinctorum pedes coarctabantur . Sed varia erat earum forma ; Modò ſolis includendis pedibus adhibebantur ; tum autem geminæ trabes erant invicem ſic aptatæ, ut dimidia in utraque cavitas immitendis pedibus pateret, unde ſuperior trabs inferiori cohærens foramen integrum , ſeu vinculum cruris perficeret . Modò, & manus , & collum ipſum includebant , non abſimili ab ea , quam modò diximus , ſed ea multiplici tignorum coaptatione. Hujuſmodi ad torquendum duriſſimum inſtrumentum *πεντεσύριγγον* ab Ariſtaphene dictum ; ubi Vetus Græcus Scholiaſtes illud verbum pro *ligno* interpretatur *quinque foramina habente , per quæ pedes , manus , ac cervix immittebantur* . Eſſet ne primæ , an alterius formæ , Cippus ille , in quo Martyres hujuſmodi *tanta conſtrictione afflictos* Fidelis intuitus eſt, non ego temerè decernam .

(7) Sillanus iſte , ut habetur ex Offitio Eccleſiæ Bergomenſis *Reſponſ.* 4., & *Lect.* 5. Alexandri hortatu Chriſtianæ ſe Religioni dedidit . Hic tamen *impius* vocatur , quòd malo, ut credere juvar , animo , frequentem Fidelis, cum Alexandro, aliiſque Martyribus conſuetudinem , *ad Palatium* detuliſſet .

(8) Quod *miraculum?* Mirum certè Viros hujuſmodi in Carcerem detruſos, & in nervo conſtrictos, hilariter vivere . Multò etiam mirabilius, impio potiſſimum atque ethnico homini , videre quempiam , ardentiſſimè vincula, ac tormenta cupientem , atque hujuſmodi atrociſſimas licèt pœnas , *convivii* , & *coronæ* loco depoſcere .

(9) Duo iſti Carpophorus , & Exantus *nobiliſſimi Commilitones* hic appellati, Satellites dicuntur *Lect.* 5. Offitii de S. Alexandro , quod Bergomi reaita-

audientes hæc mira omni devotione insignia, rogaverunt Carcerarium, ut illò eos perduceret, quatenus possent audire, ac videre hæc tam stupenda, totiusque Sæculi admiratione digna. Fac nos Sillane, illos, de quibus dicis, precamur videre: quoniam ætas nostra numquam hujusmodi, quæ dicis, audisse meminit, vel vidisse. His dictis quidem Sillanus eorum satisfaciens precibus, processit celerius. Commilitones verò nobilissimi Carpophorus, atque Exantus sequentes eum æquis passibus pervenerunt ad Carceres desiderabilius, ubi Sancti Martyres Alexander, Cassius, Severinus, Secundus, & Licinius afficiebantur variis cruciatibus. Cùm ergo pervenissent ad Sanctos in Carcere salutaverunt eos (10) *secundùm Divinum, ac probum morem pax vobis, fratres, dicentes: at illi una voce responderunt, pax Angelorum vobis numquam deficiat, jam Christi electi Milites. In eadem quippe hora factum est gaudium inter eos magnum, & invicem osculantes se præbebant sibi solatium, quod parvo tempore cruciatus deficeret pœnarum, & post hæc succederet fructus indeficiens æternitatum. Quod pretioso eos reficeret odore utique florum in Paradiso quidem omnium amœnitatum, ubi ver numquam deficit, & flos semel fragrans promptus numquam marcescit. Dato quoque sæpiùs ad invicem osculo, & valedicentes mutuò exierunt Carpophorus, & Exantus de Carceris habitaculo, & pervenerunt ad Palatium illico*

---

citatur. In Lectione autem Breviarii Mediolanensis *die 7. Augusti* tantummodo *duo Maximiani Milites* nuncupantur. Cum illa autem Lectione cohæret MS. nostrum, quod ad reliqua, de quibus hìc edocemur; sic enim in illa habetur. *Cùm igitur à Syllano Carceris Custode perpetuum eorum* (Alexandri aliorumque) *in Divinis Laudibus studium Carpophorus & Exantus, duo Maximiani Milites, audisset; in Carcerem ad illos veniunt.*

(10) Ea quidem Lectio deinde ita subdit: *Ipsorumque hortatu Fidem Christi Domini complectuntur*. Verùm MS. innuere videtur Christianos jam fuisse, si tamen aliqua eorum verborum ratio habenda est, quæ sequuntur: *secundùm divinum ac probum morem, pax vobis* &c. aut eorum, quibus Martyres respondisse affirmantur: *Pax Angelorum vobis nunquam defitiat, JAM CHRISTI ELECTI MILITES*. Utramque fortassis historiam conciliabit, qui Carpophorum, Exantumque desiderio Christianæ Religionis, divino instinctu tum solummodo capros, Christianos autem, Alexandri, aliorumque Martyrum cohortationibus deinde effectos affirmet.

lico respuentes idola, (11) *atque prædicantes ea surda, ac manufacta, quæ nec sibi, nec aliis prosunt omnino, & Deum vivum, ac verum incessanter adorare cœperunt profectò, qui cuncta creavit ex nihilo.*

Eodem denique tempore (12) *Inperator Maximianus crudelissimus, qui erat in Christianos sævissimus, suorum exercitus Militum ad Gallorum* (13) *remeare provinciam jussit* im-

(11) Hæc eam confirmare possunt conjecturam, quam superiori adnotatione adduximus pacis gratia inter MS. nostrum, ac Mediolanensis Breviarii Lectionem.

(12) Anno probabiliter 304. jam ineunte: puto enim à cæde universæ Legionis ad Alexandri in Carcerem detrusionem aliquod tempus fluxisse; præterea ex Actis ipsis liquet aliquo tempore fuisse ante detentum, quam hæc à Maximiano agerentur. Tandem Maximianus labente superiore anno 303. XII. Kal. Decembres, ex Pagio Diocletiani Vicennalia, & cum ipso Romæ triumphum egit, ex qua Urbe, ut innuit Auctor Panegeris ad Maximianum, & Constantinum dictæ, per hæc verba: *Te primo ingressu tuo tanta lætitia, tanta frequentia Respub excepit, ut cum te ad Capitolini Jovis gremium* (cùm scilicet triumphavit) *vel oculis ferre gestiret, stipatione sui vix ad Portas Urbis admitteret TE RURSUS VICESIMO ANNO IMPERATOREM, OCTAVO CONSULEM ita ipsa amplexu suo Roma voluit detinere, ut videretur augurari jam, & timere, quod factum est:* non multò post ipse discessit, propterea & eius, ibidem, duplex ad Romanam Urbem accessus memoratur: Neque Romam repetiit nisi accedente initio sequentis anni 305., quo Consul Romæ processit, & ejusdem anni Kal. Aprilis, quæ erat nata is dies Augusti Imperii sui, ibidem Vicennalia, non expleto quidem, sed incipiente *VICESIMO* Imperii *ANNO*, celebravit, pòst quæ iterum Mediolanum pergens, Kal. Maji, adbdicavit Imperium. Post igitur primam illam Maximiani ab Urbe discessionem, & ante postremum reditum ad eandem, ea omnia Mediolani gesta sunt, quæ sequuntur in Actis Martyris nostri descripta.

(13) Ne quis hoc loco putet MS. nostrum, eodem, quo Surii Acta, errore laborare, cùm *de Gallorum Provincia* quidpiam intelligit. Non hic enim Bagaudarum illud, quod ea innuunt Acta, bellum significatur. Revera multò ante à Maximiano gestum illud, atque perfectum. Non tamen ob eam victoriam universæ fuerunt Gallorum Gentes subactæ, neque in Gallia bella cessarunt. Eodem tempore, quo Constantius Cæsar Allecto profligato, Brittanniam recuperavit (fuit anno circiter 296 ex Pagio; mihi fortassis paullo post) Maximianus Augustus, ex Africa rediens, Rhenum adversùs Francorum motus tutatus est, ut ex Eumenii Panegirico ad Constantium. Pariter ex Eutropio *in Dioclet.* Constan-

sius

implum. (14) *Altera verò die jussit sibi idem Maximianus Tribunal ex alto in ypodromo Circi* (15) *præparare, & præcepit Sanctos, qui erant in Carcere Alexandrum Mauritii Ducis Signiferum,* (16) *Cassium, Severinum, Secundum, & Licinium repræsentari, & ait ad eos: unum de duobus eligite, aut Diis immortalibus sacrificate, aut diversis vos pœnis parabimus interficere. Sancti autem Martyres dixerunt: nos Idola muta, & sine sensu, & vita non adoramus, qui nec sibi prosunt, & aliis nocent: nos itaque non sacrificabimus Dæmonibus, sed Deo vivo, & vero: nosmet sacrificium laudis sibi offerentes. Tunc iratus Maximianus, jussit eos iterum recludi in Carcerem, donec ipse cogitaret, quibus cruciatibus ipsos afficeret, aut qua eos morte perderet. Hæc audientes Carpophorus, atque Exantus unà cum B Fidele perrexerunt ad Carcerem, unoque detulerant omnes consilio, ut in Cumensem pervenirent Urbem. Dum igitur Sancti egrederentur foras* (17) *nocte de Civitate Mediolanensi pervene-*

runt

---

tius Brittannia recuperata in Gallia circa Lingonas pugnavit, & LX. hostium millia profligavit. Non istorum tamen nisus omnes debilitati, siquidem & Constantiño vix Cæsari (eodem Eutropio teste) cum Francis, atque Alemannis conflictum. Habet etiam Aurelius Victor *in Cæsaribb.* ita *Is* (Constantinus) *ubi vastari Urbem, atque Italiam comperit, pulsosque, seu redemptos exercitus, & Imperatores duos, composita pace per Gallias, Maxentium petit.* Non igitur Bagaudarum oppugnandorum caussa, sed ob Francorum, & Alemannorum nondum satis retusam, ac tum fortassis resurgentem audaciam, in *Gallorum Provinciam*, Maximianus, *remeare* exercitum jussit

(14) Mendum ob detritum Codicem. Fortassis: *in prælium.*

(15) Circum Mediolani extitisse superior Dissertatio satis admonet. In hoc non immoramur. Ibidem sane hoc ipsum addendum fuerat, quod habent Acta; Circi enim Mediolanensis historiam illustrat. Verùm eo loco non apposuimus, quod MS. Bergomense nondum fuerat ad nos delatum cùm illa ederemus.

(16) Signiferi Veteribus ii Milites erant, qui Signa moverent, seu deferrent. Puto à Primipilaribus fuisse diversos. Nos, supra, Alexandrum Primipilarium accepimus. Hic autem Signiferum appellari credo, quod Signi, sive Aquilæ, ut supra diximus, tuendæ cura, ad Primipilarium pertineret.

(17) Benefitio, ut credere juvat, Sillani Carceris Custodis, quem, ut supra innuimus, Christianum effectum, hoc iis offitium præstitisse, non est ab re opinari,

runt ad quemdam vicum non longe ab Urbe eadem, ibique manserunt, donec viderent diem lucescere. Lucescente itaque die cœptum iter cœperunt pergere. Pergentes equidem quò statuerant, invenerant homines portantes feretrum, ut sepelirent mortuum.

Tunc Alexander Sanctissimus per omnia miræ Sanctitatis præcipuus viso corpore exanime, feretrum jussit deponi citissimè; & deposito feretro ait ad Collegas, & Confratres suos. Viri fratres, oremus, & deprecemur Dominum nostrum, quatenus sua virtute, & misericordia hunc resuscites mortuum, ut resuscitatus credat in eum, & deinceps habeat partem cum fidelibus suis in æternum. Hac denique suggestione indubitata fide robusti prosternentes se in terram adoraverunt Dominum Cœli, qui mortuos vivificat, dicentes: Domine Jesu Christe, cui nihil est impossibile, nihilque difficile; cui est antequam fiant omnia nosse, cui etiam mortua manifestum est vivere, quique fidelibus te petentibus non abnuis postulata præstare, da nobis servis tuis, quæ petimus, & remitte animam hujus defuncti in proprium corpus, quatenus per orationes nostras credat in te salvatus, atque resuscitatus, & cognoscat te sequi Salvatorem suum, qui es benedictus per omnia sæculorum.

Ad hanc vocem illuminatus, atque resuscitatus utroque videlicet anima, & corpore dixit clara voce, nec non pia intentione: (18) *unus est verus, & solus Deus, quem colunt Sancti, quique eorum me orationibus resuscitavit, & de tenebris ad lucem reduxit, & ab æterna morte misericorditer liberavit.*

Eadem denique hora gloriosissimi Martyres læti in gratia Domini nostri Jesu Christi effecti, qui viscera misericordiæ suæ fidelibus suis dignatur semper largiri, & hæc beneficia subitò eis tam

(18) Scilicet pio in Christianam fidem affectu, instinctu quodam divino intus agente. Non enim is in fide fuerat satis eruditus, qui ab eodem Alexandro ad Muternum, institutionis caussa missus, infra perhibetur. Hoc restituti in vitam hominis prodigium jure celebrandum, perpetuo decoratum est monumento, siquidem vetus non procul à Novocomo Ecclesia adhuc visitur Alexandro dicata, atque in ejus prodigii memoriam ibidem, ut perhibent, constructa.

tam clara voluit sua largitate donare, cum immenso tripudio agentes gratias Deo, dato scilicet signo, miserunt mortuum resuscitatum ad B. Maternum Episcopum, ut reciperet Christi Baptismum; ut ergo pervenit ad B. Maternum Episcopum agens secum, quod ei præceperat signum, religiosè ab eo susceptus, & in fide cathechizatus: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti est baptizatus. Hic verò postmodum fideliter credidit Domino, & justitia ejus non refugit ab eo. Sancti igitur cœpto itinere proficiscentes pervenerunt ad vicum non longè ab Urbe Cumensi, ad locum videlicet, qui dicitur Silvula, & abscondentes se latuerunt pacificè. Alexander quidem cæteris ibidem fratribus Cassio, Severino, Secundo, Licinio, Carpophoro, & Exanto derelictis, diverso cœpit itinere pergere. Tunc ipso temporis articulo Maximianus mentis vesania captus suos Commilitones diversis mittens in partibus jussit, ut si Christi futuros Martyres invenire possent, ad se celeriùs perducerent. Ipsi verò proficiscentes, invento Alexandro, ad Mediolanensis Urbis mœnia eum reduxerunt, (19) atque nequissimo Maximiano eum repræsentaverunt. Tunc Maximianus jussit dicens: Sacrifica Diis immortalibus, si vis noster esse amicus, (20) ob nullam quoque aliam causam vocavi te, nisi ut sacrifices. Comperi enim te derelinquentem Deos nostros, Christianumque esse effectum. Et hæc dicens jussit sibi apponi mensam Sacrificii; cumque apposita fuisset linteaminibus cooperta ait ad B. Alexandrum: accede nunc, & sacrifica. Sanctus Alexander confirmatus in gratiam Dei respondens dixit ad eum: Cur hoc facis, Cæsar Maximiane, magnam tyrannidem exer-

(19) En iterum Alexander, non multò post fugam, Carceri mancipatus. Superius namque habetur: *Tunc ipso temporis articulo Maximianus mentis vesania captus, suos Commilitones diversis mittens in partibus* &c.

(20) Hinc Mombritius vetustum Codicem Passionis S. Alexandri, exscribere orsus est, sive hinc visus ab eo Codex ordiebatur. Quæ in nostro textu sequuntur prorsus cum Mombritii Passione concordant, nisi quod interdum in verbis, aut in eorundem positione, servato tamen eodem sensu, aliqua, levis tamen, occurrit differentia. Variantem lectionem subdere supervacaneum duxi, in summa rei concordia, imò identitate.

exercere cupis, & quidem ego vereri te possum ut Regem terrenum, verumtamen ut Deum amare non possum. Cæsar ad eum: jubeo, te mori, nisi sacrificaveris. S. verò Alexander divino flamine plenus constanter inquit ad eum: mors mihi à te illata, vita est apud Deum: nam ab hoc sæculo recedendo major vita est, ad quam accedam, & in qua Regem sæculorum justissimum Creatorem nostrum, atque vestrum possideam. Inaudita responsione admiratus Cæsar jussit eum sisti, & suasoriis quidem verbis persuadebat ei dicens: etsi excusas, inquit, sacrificare, Alexander, sacrificantibus consentias, & eisdem copulare. At illo tacente, nihilque tyranno respondente jussit Cæsar ministris, ut apponerent mensam cum Sacrificiis. Sanctus Alexander in Cœlum respiciens dixit. Atque utinam tantam mihi Dominus gratiam daret, qui cuncta per Dominum Christum postulantibus præstat, ut possem & tuam voluntatem ad Dei agnitionem convertere, & vanissimam istam incredulitatem à te auferre. Sed tu quidem hoc insanabile habes malum, quia ex vetustate usus huic vanitati adhærens credere non vis. Me autem vocavit ille, qui omnes gentes ad suam gratiam olim vocare promisit. Parce ergo consiliis tuis diabolicis: plange, recognosce actus tuos malos, & crede in Deum vivum, qui fecit Cælum, & Terram.

Motus autem Maximianus ad tantam ejus fiduciam dixit ad eum: usque nunc quidem adhæsisti mihi in tantum, ut cum jucunditate utentibus juberem te esse. Quia tu verò ultra quam oportet, liberalibus usus es sermonibus, ut redactorem te, & nefarium appositi Sacrificii teneri præcipio. S. Alexander hæc audiens, genua sua figens pro sua videlicet utilitate dixit ad eum: valde in ridiculo tuum præceptum suscipio. Ego enim Dominum Cœli colo, qui me de hoc errore, quo tu detineris, ad legis suæ cognitionem perduxit, & non ligna, & lapides ab hominibus composita me adorare jussit, quæ tu nunc venerabiliter colis.

Sed quid plura: agita, tyranne, gladium, & quidem hoc mihi à te facultatis sacrificandæ concessum est, sed non quidem tantum jungor tuæ iniquitati, quantum justitia Dei, cujus gra-

tiæ

tiæ particeps merui existere, nec propter parvam libidinem gratiam amisero cœlestem. Hæc Beatissimo Alexandro dicente clara voce ad tyrannum, & reliquos vociferantes, commotus Maximianus statim jussit astantibus, ut appositum Sacrificium invito ei offerrent, & applicitis armatis suaderi præcipiebat. At ille Beatissimus amplius indignationem omnem admotus confundens regiam iniquitatem, & ejus præcepta, calce mensam percutiens, evertit cum omnibus in ea appositis. (21) *Hic itaque furore repletus Maximianus, & totus iracundia fervens fixit ad ejus necem oculos, & jussit eum tradi uni ex ministris, ut eum duceret ad victimas. Minister verò evaginato gladio stetit, ut stupidus nihil audens in eum perficere. Cui Maximianus dixit: adhuc moraris malus miles? Martianus miles respondit: O mi Rex, caput ejus sicut mons est ante me, & ego totus contremisco. Cognoscens autem causam Maximianus tradidit aliis ministris, ut eum interficerent.* (22) *Dein non multò post B. Alexander nutu, ac voluntate Dei fugam arripiens recto tramite, siccisque pedibus transmeato flumine Abduæ* (23) *pervenit ad locm non longè à Pergamea*

(21) Tam præclarum fortitudinis, invictique, & impia Numina contemnentis animi testimonium, celeberrimum jure Alexandrum efficit, qui cum Maccabæo illo fortissimo conferri possit, quem *Aram destruxisse, & legem zelatum esse* intelligimus, *Machab lib.* 1. *cap.* 2. Atque ob hoc potissimum Mediolani viguisse vetustissimum ejus cultum inferius opinabimur. Certè de uno hoc tam illustri facto ommissis ceteris, in Veteris Offitii, de quo supra meminimus, Missæque, quam mox promulgabimus, Oratione, & propria Præfatione, mentio luculentissima reperitur.

(22) Quæ sequuntur, apud Mombritium non extant. Necessaria tamen sunt ad locorum, & temporum distinctionem, quocirca aut ea Mombritius sustulit, qui Martyrii, & Passionis seriem prosequi niteretur, aut ejus fuerat exemplar depravatum. Adde quædam in iis contineri, quæ certè sunt animadversione dignissima.

(23) Præclarum sane prodigium. In hujus memoriam Bergomates historici eam asseverant D. Alexandro Ecclesiam fuisse constructam, quæ Pharæ dicitur In Abduæ ipsius, ut vocant, glarea, ubi flumen siccis pedibus eum transmisisse vetus traditio docet. Ecclesiæ hujus constructionem S. Joanni Martyri hujus nominis secundo, Bergomensium Episcopo, nonnulli tribuunt. Alii putant eo antiquiorem. Ejus mentio in Diplomatibus Caroli Tertii, & Arnulphi Regis, quæ apud Ughellium extant, reperitur.

mea Civitate, qui locus olim ab incolis Plotacium (24) *vocabatur, ubi eum Dominus sic voluit Martyrio coronatum, ad suum perduxit itaque Regnum.*

Tunc vir beatus ibi inter densa veprium secedens orabat ad Do-

---

(24) Alii *Crotacium* nuncupant. Moysis Bergomensis editus *Tom.* 5. *Rer. Italic. Crotatium*, & *Credatium* dixit, eumque Avum refert Gratæ, quæ Bergomum rexisse affirmatur; (Est hæc Grata, de qua infra, Mulier piissima ducendo Martyris funeri intenta) in hos versus.

> *Hinc ubi procedens paulum Titanis ad ortum*
> *Respice* Credatii *felicem divitis hortum,*
> *Quem Regina potens ambivit marmore Grata,*
> *Pergamea sedis regeret cum sceptra beata.*
> *Illic omne viret genus omni tempore florum,*
> *Ex quibus ægrotos sanans vis exit odorum.*
> Crotatius *hujus Avus Reginæ dicitur illam*
> *Constituisse bonis propriis magnopere villam,*
> *Unde fuisse locum Veteres dixere vocatum,*
> *Cujus & ipse locus conservat Corpus humatum.*
> *Signa rei manifesta tibi dabit alta Columna,*
> *Post obitum Domino, quam Gens fabricavit alumna.*

Tamen *Crotacium* hunc, Idolum quoddam fuisse alii asseverant, quod Cœlestinus Bergomensis historicus tenet; Quin *Histor. quadripart. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 8. Idolum hoc ipsum erutum fuisse narrat, cum nova Urbis munimenta struerentur, ejusque acceptam à fidis testibus descriptionem refert, affirmans fuisse illud, caput quoddam bubalum ex ære, Columellæ cuidam impositum, cujus in stylobate hæc legeretur Inscriptio

DEO
INVICTO
L. S. M.

Signum illud asportatum, idem memorat. Stylobatem adhuc Bergomi in Foro veteri superstitem manere, à Bergomensibus eruditis Viris accipio. Guarinus autem in sua Bergomensis Ecclesiæ Synopsi, utramque sententiam conciliare videtur, affirmans eum fuisse quidem Gratæ Avum, sed eundem post mortem inter Numina relatum. Huic opinioni non video quomodo caput illud Bubalum Cœlestini, congruere possit. Sed nos à Bergomensi historia manum abstinemus, qui non eam pro dignitate fortassis tractare valeamus, quocirca nihil decernimus. Quæ attulimus hucusque ad qualemcunque *Plotacii* hujus, quem textus memorat illustrationem dicta habeas, Lector benevole.

Dominum, ut suæ passionis dirigeret cursum. Mox (25) *autem adfuerunt ministri, quibus traditus fuerat ad decollandum. Quibus visis Beatus Alexander gaudio repletus est magno, quia postulationem suam exauditam sperabat à Christo.*

Ministri autem insistebant ei dicentes: ad hoc pro te missi sumus jussu Imperatoris, ut sententiam subeas decollationis. Ex hac (26) *itaque jussione gaudio repletus S. Dei Martyr Alexander aquam petiit,* (27) *mox suas manus lavit flectens genua, & cervicem in terram humilians, orationem Deo obtulit hujuscemodi dicens:* (28) *Benedictus es, Deus, qui dignis cognitoribus tuis, quæ sunt bona, tribuis: Benedictus es, qui patiens es super peccatores, & infideles, errantesque revocas ad tuam agnitionem. Benedictus es, qui inferna quidem calcasti propter nostram resurrectionem, & persecutores, qui abnegant, ad tuam fecisti venire veritatem. Benedictus es, qui cadentes erigis ad tuam pietatem. Benedictus es, qui animalium quidem execraris cædem, tuorum verò orationes libentissimè suscipis. Benedictus es, qui colentibus te cooperaris, ut dæmones eis subjicias. Benedictus es, qui pœnitentiam quidem te deserentibus pro peccatis eorum largiri dignaris, eamdem verò mercedem quoque undecima hora occurrentibus gra-*

(25) Non multò post fugam ab Urbe Mediolanensi. Bergomates quidem Historici diutiorem in eorum Urbe moram ejus statuere videntur, cui multa propterea apud eos peracta tribuunt, Christianæ potissimum Religionis disseminandæ, propagandæque caussa. Guarinus *Sinops. pag.* 11. eum duodeviginti dies Bergomi commoratum affirmat, quod unde eruerit significasset utinam Vir disertus. Ego temerè refragari non ausim. Sane hoc, quod illustramus monumentum, si minus perbrevem, certè non multùm diuturnam Alexandri mansionem fuisse testatur.

(26) Hinc, & deinceps iterum Mombritius sequitur.

(27) Fortassis ut puriorem seipsum Deo hostiam offerre videretur.

(28) Quæ sequitur fusa Alexandri ad Deum Oratio, eadem & in nostro, & in eo quo Mombritius usus est exemplari reperitur. In alio item extat Bergomensi MS apud nos. Verùm alia non modò verba, sed diversi item rerum sensus, crebro reperiuntur. Ego facilè credam fusas ad Deum preces instante morte ab Alexandro fuisse, verba tamen, ac precum sensus, ex ingenio Prisci illius Scriptoris, coaluisse. Mirum enim prorsus est mihi, paratum jam ad cædendum Lictorem, tamdiu ab ictu temperasse, quamdiu istam Alexander absolvisset, certè non perbrevem Orationem.

gratiam donare dignatus es. Benedictus es, qui ignorantiam quidem impietatis à me extinxisti hodie, tua verò veneratione aggregasti, ut percussorem devictum ostendens. Benedictus es, qui de media Idolorum cultura ad tuam magnitudinem bonorum operum tuorum assumpsisti, & de principali potestate liberasti. Benedictus es, qui bono gregi tuam ovem constituisti, & idonea mente in tua veritate confirmasti. Benedictus es, qui tantorum bonorum thesaurum subitò mihi largitus es ad stadium veritatis tuæ per Jesum Christum Dominum nostrum me introducens. Benedictus es, qui fortem athletam tuæ venerationis sermone docuisti, & aculeum Diaboli infrænasti. Tu mihi Deus perfectam gratiam exhibe, sicuti promittere dignatus es diligentibus te. Hæc exoravit Beatissimus Alexander, & post Orationem aspiciens in Cælum commendavit Domino spiritum suum, dicens: In manus tuas Deus commendo spiritum meum, & mox inclinavit caput. Minister verò implens præcepta Regis, amputavit caput ejus. Deinde post &c.

„ Hic terminatur series passionis Sancti Martyris „ Alexandri, desumpta ex vetustissimo Codice „ Pergameno existente in Tabulario Cathedralis „ Bergomi. Sequens verò continuatio ejusdem „ passionis habetur alibi in eodem Codice per „ eamdem manum, ipsissimaque scriptura exa„ rata.

Dies aliquot quædam Matrona veniens meritis castissima, & nomine Grata (29) *beatum Corpus inveniens cum gaudio lætabunda*

(29) Hæc ea est, de qua supra meminimus 24. *Adnotatione*. Hanc Bergomenses, Divis adscriptam venerantur, & peculiari colunt Offitio. Hujus Vitam B. ille Pinamons de Brembato, quem supra in Monito memoravimus, distinctè descripsit, cujus Autographum in Monasterio Divæ ejusdem Matronæ Bergomi custoditur, ex quo tamen nonnulla fideliter descripta, & ad nos transmissa servamus, quæ D. ipsius Alexandri historiam illustrare posse videbantur; illa tamen non promulgavimus, cùm vetustius Monumentum haberemus, hoc loco prolatum.

da excepit, eumque cum suis ossibus ad prædiolum detulit suum, quod situm pœnes . . . . . . jam præfatum Urbis Pergami muros, ibique cum aromatibus optimo sepelivit in loco. (30) *Passus est autem pro Christo B. Martyr Alexander sub Maximiano Cæsare septimo Kalendas Septembris, atque sepultus est juxta Urbis Pergami muros in honore Domini cum omni diligentia Christiana, in quo loco semper Dominus meritis Beati Martyris exoratus ostendit prodigia, & vota supplicum complet,* (31) *qui vivit, & regnat in unitate Deus per omnia sæculorum. Amen.*

---

(30) Hoc in loco diu Sanctissimum Corpus mansit, scilicet usque ad tempus Adelberti Bergomensis Episcopi, qui juxta Guarinum *in Sinops.* anno C. 908., cum vetus Sepulchro superstructa Ecclesia, obsidione Berengarii Regis labefactata esset, Alexandri ossa eruere, & in conditam ob illud ipsum novam à se cryptam condere decrevit; quod item fecit, & rei Monumentum edidit publico Diplomate, quod integrum ab Ughellio promulgatum est. III. Kal. Augusti hæc antiquitus Translatio celebrabatur, ut ex veteris Kalendarii particula ad nos transmissa manifestum est, in qua item Caroli Imperatoris III. recuperata ante, Martyris nostri ope, valetudo memoratur, de qua paullo post erit dicendum. Pro Offitii Lectionibus B. Adelberti Diplomatis textu utebantur (ut vetustum Ecclesiæ illius *Lectionarium* habet) *De Processionibus*, unde Lectiones quatuor, & *De Decimis*, unde aliæ, quæ sequuntur, detractæ. Aliæ post hanc Translationes peractæ fuerunt, de quibus consule, Lector, Bergomenses Scriptores.

(31) Non est mens hoc loco, patrata ad D. Alexandri tumulum mira recensere, quod facere, neque instituti nostri est, neque brevis animadversionis. Quam certè *vota supplicum* completa ad illius tumulum jure perhibeantur, illud inter cetera luculentissimum argumentum est, quod de se ipso Carolus III. Imperator eo, quod apud Ughellium legitur Diplomate, testatum reliquit in hæc verba: *Stabilimus ad honorem Beatissimi Martyris Christi Alexandri, ad cujus limina confugimus, cujusque intercessione à gravi infirmitate corporis Dominus restituit sanitati* &c. Sed alii præter hunc Reges, iique plurimi, voti compotes Alexandri Sepulchrum adierunt, de quibus meum non est aliquid admonere. Fortassis tamen, Auctore istorum, quæ protulimus Actorum, scribente, nondum Carolus III. Imperator, Martyris opem expertus, illud reliquerat, quod supra adduximus testimonium.

Missa

Missa reperta in Archivio Cathedralis Bergomi pro solemnitate S. Alexandri Martyris.

INTROITUS.

CElebris nobis advenit lux propagata S. Martyris Alexandri militis, in cujus solemniter passione gaudent agmina supernorum, & collaudant æternum in Sanctis Dominum gloriosum. Exaudi Deus Orationem meam, cùm deprecor, à timore inimici eripe animam meam. Gloria Patri, &c.

Oremus.

DEus, qui B. Alexandrum Martyrem tuum Idola Maximiani calce percutientem mensam ejicere præcepisti, ita per ejus intercessionem nos facias omnes inimici insidias vincere, & ad Cœlestia Regna pervenire. Per Dominunm nostrum &c.

Lectio Epistolæ B. Pauli Apostoli ad Thimoteum 2.°

CArissime nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut placeat ei, cui se probavit; nam & quis certat in agone, non coronabitur, nisi legitimè certaverit, &c.

Graduale.

PErductus itaque Dei athleta Alexander, ubi Idolorum superstitio colebatur, spe gloriæ æternæ roboratus dicebat, ecce adoro Regem Angelorum Deum vivum, non manufactum Idolum: Alleluja. Martyr egregius, lucifer velut fulgens exortus Ecclesiarum nostrarum est factus propagator.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Lucam.

IN illo tempore dixit Jesus: nemo autem lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit, &c.

Offer-

Offertorium.

SAnctus Alexander benedixit Deum dicens: benedictus es, Domine, qui ovem perditam revocasti, & me indignum in tua veritate confirmasti.

Communio.

INde S Martyr protractus, exempto gladio spiculator caput amputavit, & ejus animam Angeli accedentes susceperunt, & debita laude Domino præsentarunt.

Præfatio.

ÆTerne Deus, & te in solemnitate Beatissimi Martyris tui Alexandri collaudare, benedicere, & prædicare, qui raptus fuit ad paratas aras, tentus ante mensas, compulsus est aut statim libare, aut mortem subire capitalem. Sed vir strenuus mori non metuens impulit Jovem, & audacter Dæmonem calce percussit. Exultat igitur inter Superos Christi milites, possidet in Cœlo cum Christo Paradisum, qui contempsit transitoriæ dignitatis palatium. Verè prædicandus est Martyr iste, colendus est miles iste. Celebrandus est enim dies iste, in quo beata anima Cœlos ascendit. Ad hunc ergo fidelissimum Domini testem, ad hunc salutiferum, & quasi familiarem amicum clamet gens Pergamea, conveniat plebs anxia, festinet Religio Christiana. O misericors Domine, o gloriose in Sanctis tuis, quantam Martyri in passione constantiam contulisti. Jube ei, ut audiat preces nostras, ut quem dedisti Patronum, & Tutorem, habeamus propitium, & mediatorem. Protege Civitatem istam, custodi Provinciam istam, ut intercedente Martyre tuo misericordem te sentiamus. Jesum Christum Dominum nostrum &c.

Car-

III.

Carcer Zebedeus in veterem Ecclesiam D. Alexandri migravit. Ejus Ecclesiæ antiquitas, & præstantia.

EX iis, quæ sub primo numero diximus, vetustum illum *Zebedeum* Carcerem in D. Alexandri demolitum Fanum migravisse, cui & *in Zebedea* agnomen ingessit, satis Lector, deprehendis, si in mentem revoces reperta ibidem multa, de quibus diximus, tam probabilia ejusdem vestigia. Videtur hoc loco inquirendum, quo potissimum tempore diruto Carcere, Fanum surrexerit. In re tam vetusta nihil nos certi habere fas est profiteamur. Certum illud est, Martyris hujus nostri cultum apud Mediolanenses fuisse vetustissimum. Extat apud Doctissimum Saxium Missale Ambrosianum pergamenum, quod ipse ante octingentos, vel etiam plures annos conscriptum, optimis sibi, Vir Eruditissimus, conjecturis persuadet, quod mihi aliquando Missale, ac de ejus antiquitate judicium ipse communicavit: Ibidem autem Missa de S. Alexandro nostro sub ejus die scilicet 26. Augusti, reperitur. Non est autem ab re credere ob dejecta potissimum, & hic quidem Mediolani Idola, summam à Mediolanensibus venerationem, & Ecclesiam multò antiquis temporibus Martyrem nostrum adeptum esse. Aliud etiam vetustatis ejus monumentum esse potest, quod eandem, inter Ecclesias publica Litaniarum supplicatione adeundas, reperimus apud Beroldum usque conjectam, qui de secunda Litaniarum die agens, postquam ceteras invisendas recensuit Sacras Ædes, hoc tandem habet *Oratio ad Portam Civitatis: Mæstorum refugium Deus*: (de Porta agit Romana, cujus veterem signatè locum Dissertationis primo capite, exposuimus) *Antiphona usque AD S. ALEXANDRUM: Muro tuo* &c. Sed novam quoque idem Beroldus facem præfert,

fert, ad Ecclesiæ hujus *Zebedæo* Carceri subrogatæ, vetustatem diligentius investigandam. Habet ille in Manuali, ubi de postrema Quadragesimæ hebdomada, quam tunc *Authenticam* appellabant *fol.* 408. *pag.* 1. = *Feria secunda in Authentica hora tertia, Pontifex cum Capellanis suis, cum Presbytero Sancti Michaëlis in Domo* (hæc diruta Ecclesia est, olim parum distans à Templi Maximi Odæo) *& Sancti Joannis ad Concham, & SANCTI ALEXANDRI, & Sancti Kalimerii, & Sancti Petri in Campo Laudensi, & quatuor Presbyteris Sancti Laurentii* (*quorum est afferre thuribulum, & incensum, & Librum Orationum hujus Offitii, & duo candelabra cum totidem cereis*) *& cum tribus hominibus, vel pluribus illius progeniei, cujus fuit Leprosus, quem Sanctus Ambrosius divina ope mundavit, in Ecclesia Sancti Salvatoris, quæ modò Sancti Viti appellatur, convenire, & coadunari debent.* Pergit Beroldus, narrans, quæ tum Episcopus agere deberet Leprosi abluendi caussa, siquidem ad perficiendum hunc ritum, ea die in Mediolanensi Ecclesia vigentem, universa pertinet rerum series, & rubrica ibidem descripta. Tum sequitur. *Et eundo ad Balneum Presbyter Sancti Michaëlis, & Sancti Kalimerii, & Sancti Petri in Campo Laudensi cantant Psalmum, incipientes à* Beati Immaculati, *usque ad* Omnis spiritus laudet Dominum: *Et Presbyteri similiter Sancti Joannis ad Concham, & SANCTI ALEXANDRI faciunt Litanias, eundo per eandem viam. Et similiter Presbyteri Sancti Laurentii canunt hanc Antiphonam usque ad Balneum &c. &c.* Internota hìc primum, quæ Presbyteri, seu Parochi hujus, quam illustramus Ecclesiæ partes essent in eo ritu celeberrimo: scilicet primum cum recensitis aliis in Sancti Viti Ecclesiam convenire, ac deinde in sacra ipsa supplicatione unà cum S. Joannis ad Conchaam Presbytero, *Litanias* pari voce præcinere. Verùm ne à proposito deflectamus, illud maximè considerandum est, eum, quem superius Beroldus describebat, morem in Mediolanensi Ecclesia fuisse vetustissimum. Vigebat sane, Puricello

teste *Monum. Ambros. num.* 50. 51., tempore usque Angelberti alterius Pusterlæ Archiepiscopi. (Is ante annum C. 832. Mediolanensem Ecclesiam regebat) quem narrant dentem à D. Ambrosii Corpore à se detractum, ejusdem, de quo differimus, peragendi ritus occasione, amisisse; quem postea dentem eidem Sanctissimi Præsulis Corpori divinitus reperit restitutum. Nonnulla ipse affert in rem testimonia, in quibus etsi aliquid inesse mihi videatur commentitium, satis tamen priscæ illius, cui interesse oporteret Ecclesiæ nostræ Presbyterum, ablutionis vetustatem testari possunt. Quid plura? Si instituti illi, & in Mediolanensi Ecclesia celeberrimi Decumani, seu 72. de Ferula Presbyteri, aut Ambrosio pares sunt, aut Ambrosio antiquiores, *aut certè* à primævis usque Mediolanensis Ecclesiæ temporibus instituti; Ædis certè hujus nostræ, & vetustas, & dignitas illico prodit animadvertenti, Curionem ejus, seu *Presbyterum*, & ut vetusta habent Monumenta, *Capellanum*, Decumanis fuisse adscriptum. Extat apud Puricellium *Diss. Nazar. cap.* 112. Processus confectus anno 1289. occasione cujusdam inter Canonicos Ambrosianæ, & Cardinales Metropolitanæ Basilicæ, de Albæ scilicet, & Dalmaticæ usu controversiæ. Igitur cùm ibidem Presbyter quidam Lantelmus Musca per multa esset capita interrogatus, tum iterum de primo capite postulatus est, & hanc, quam subdimus retulit responsionem. En ipsa Processus verba: *Interrogatus super primo Capitulo, ut hic Testis determinet, & dicat per nomina illos septuaginta duos Benefitiales, quos dixit fuisse primò ordinatos in Civitate Mediolani, & de quibus dixit esse Archipresbyterum, & Canonicos Decumanorum; Respondit: Illi Benefitiales septuaginta duo sunt isti: videlicet duodecim in Canonica Decumanorum: duodecim in Canonica Sanctæ Teglæ, quæ dicitur Ecclesia Salvatoris, seu quòd ita consuevit appellari: duodecim in Ecclesia Sancti Georgii in Palatio: octo in Ecclesia Sancti Laurentii Majoris: sex in Ecclesia Sancti Stephani in Brolio: quatuor in Ecclesia*

San-

Sancti Martini ad Corpus: quatuor in Canonica Sancti Naboris: (notat Puricellius *Nazarii* legendum esse) *quatuor in Ecclesia Sancti Bartholomæi Portæ Novæ, & decem Capellani Capellarum Civitatis, quos bene possum vobis determinare. Qui sunt si vobis placet, isti: Capellanus Ecclesiæ Sancti Fidelis, Portæ Novæ: Et in Porta Orientali sunt duo, scilicet Capellanus Sancti Romani, & Capellanus Sancti Michaëlis sub Domo: in Porta Romana Capellanus Sancti Calimerii, & Capellanus Sanctæ Euphemiæ, & CAPELLANUS SANCTI ALEXANDRI, & Capellanus Sancti Joannis ad Concham: in Porta Ticinensi sunt duo, scilicet Capellanus Sancti Petri in Campo Laudensi, & Capellanus Sanctæ Mariæ ad Circulum: in Porta Vercellina est unus, scilicet Capellanus Sancti Vitalis.* Hæc Testis interrogatus, & ista subdens, ad Offitium, ac Privilegia eorum septuaginta duorum pertinentia, quæ non ingrata fore Legentibus hoc loco existimavi. *Primicerii, qui steterunt per tempora, constituerunt in Civitate Mediolani suos certos Nuntios per tempora, & Erogatarios, ad distribuendum, & solvendum benedictiones, & Annualia inter illos de Ferula* (sic illi à ferendo baculo, quem inter sacra gestabant, appellabantur) *Mediolani: qui Nuntii, & Erogatarii habent in scriptis illos septuaginta duos; quia sunt certæ distributiones, & certa Annualia, quæ distribuuntur tantùm inter illos septuaginta duos.* His igitur Ecclesiæ nostræ Curator adscribebatur, & cum ceteris non modò baculi illius usu, sed & sacræ illius pecuniæ distributione per antiquissima tempora potiebatur. Quod Testis superior affirmabat, alius item asseveravit in eodem Processu numero sextus *Albertinus Comes* nomine; interrogatus siquidem: *Ut determinet, & nominet illos septuaginta duos Benefitiales, qui primò constituti fuerunt in Civitate Mediolani &c. &c.*, cùm responderet, & singulos recenseret: *Sunt isti*, inquit, *videlicet in Canonica Decumanorum &c. &c.* (enumerat eosdem, quos supra; inter quos, & Ecclesiæ nostræ Curionem posuit per hæc verba.) *Item decem Capellani Capellarum Civi-*

Civitatis, qui decem sunt isti, Capellanus unus in Capella Sancti Calimerii. *UNUS EX CAPELLANIS SANCTI ALEXANDRI &c.* Unus quidem; nam duo, vel per ea tempora, quibus in meæ S. Paulli Congregationis administrationem vênit Alexandri Ædes Veterem illam *Paræciam*, seu *Capellam* regebant. Atque hæc sunt, quæ de Domicilii nostri vetustate, atque præstantia legendo didicimus, & quæ hic breviter, quippe Veteris Mediolani historiæ non incongrua, conjicere voluimus, non ad Domus nostræ, sed ad præclarissimi potissimum Martyris Alexandri, cujus sub Patrocinio vivimus, ornamentum, illustremque memoriam, & apud Mediolanenses, & apud omnes aliquando Posteros propagandam.

RYTH-

Palmam (1) *possident, & fidei * nomen quam * amplissimum*
Christum Dominum precemur universi pariter,
Ut dignetur custodire hanc Urbem, & regere,
Atque cunctis liberare illam de periculis.
* *Hymnum Regi modulanter cantemus Altissimo,*
Qui eam pulcro decoravit ornamento Martyrum,
Sanctorumque Confessorum ibi quiescentium.
Zelemus (2) *omnes Christiani Salvatorem Dominum.*
Ut in illam nos permittat Civitatem ingredi,
In qua Sancti per æterna gratulantur sæcula.
Gloria sit Deo Patri, ejusque Unigenito,
Gloriam canamus omnes Spiritui Paraclito,
Qui Trinus Deus, & Unus regnat in perpetuo.

---

(1) Innuit, Mediolanenses fidei hostes aliàs triumphatos, (Arianos credo potissimum) palmam sibi, & verè Fidelium, seu Catholicorum nomen fuisse adeptos. Quod superiorem auget conjecturam, etenim hìc, de bello pro fide tuenda suscepto mentio esse videtur, nisi fallimur, paullo lucidior.

(2) Zelare *sæpe apud Sacros Scriptores significat amare cum studio, ne amatus alibi divertat amorem suum.* Macrius *in Hierolex.*

INDEX EORUM,

Quæ in universo Opere continentur.

Bac-

B

C

D

E

I

L

M

N

O

P

Ra-

R

S

T

F I N I S.

RYTHMUS
DE MEDIOLANO
ANONYMO AUCTORE

Primùm editus Tom. II. P. II. Rer. Italicarum,

Nunc autem à multis, quibus ibidem ſcatet mendis expurgatus, ad nativam Rythmi formam deſcriptus, & brevibus notis illuſtratus.

MONITUM.

LUdovicus Antonius Muratorius, cujus eruditionis memoriam, ut olim Cato apud Tullium de Africano affirmabat, *omnes excipient anni ſequentes*, Tomo II. Rer. Ital. P. II. hunc Rythmum, quem ipſe *Verſus de Mediolano* inſcripſit, ex vetuſto Veronenſi Codice, primus omnium promulgavit. Eum ego in tanta Rerum mole, quod ſæpe fit, pro operis exiguitate jamdiu præterieram. Verùm cùm, & ad Mediolanum pertinere viderem, & nonnulla, quæ ad veterum Ædificiorum ſtructuram illuſtrandam conducerent, inde erui animadvertiſſem, ejus me lectioni tandem adjeci, novique non levem, etſi rudis, ac tenuis Opuſculi, habendam eſſe rationem. Eſt enim multa vetuſtate ſpectabile, quippe VIII. uſque Sæculo conſcriptum, quod mihi quidem, hærente licet Muratorio, exploratum eſſe videtur. Aperta in eodem *Luitprandi* Longobardicum ſceptrum tenentis, ac *Theodori* (Librarii inſcitia *Theodoſii* nomen intruſit), Mediolani rem ſacram ea tempeſtate regentis, mentio eſt; quæ duo rite cohærent, ac propterea ante Annum DCCXLIV., quo Luitprandus, ex Pagio, aliiſque diem clauſit, Carmen hoc Anonymus Auctor conſarcinavit. Novam mihi conjecturam gignit Carmen aliud, eodem Tom. II. P. II. editum, *de Veronenſi Urbe*, quod tamen primo Mabillonius in Analectis evulgaverat, (Verona ſanè) à Ratherio item Veronenſi Epiſcopo in Laubienſe Monaſterium tranſlatum, Anno circiter CMLXX., & quod Doctiſs. deinde Scipio Maffejus, *Diſ. de verſ. Ritm.* ad veram Rythmi formam in ſua carmina redegit, & expurgavit. Hoc mihi profecto ejuſdem Auctoris cum *Mediolanenſi* eſſe videtur. Idem omnino ſtylus, eadem carminis ratio, eadem Poëmatis *Symmetria*, eædem prope locutiones, & formulæ, quod infra diſtinctius oſtendere ag-

gredimur: Utrumque mendis scatens, utrumque ab imperito Librario conscriptum. Unum deme, quod Veronensi paullo major prolixitas inest; ceteris prorsus rebus

. . . . . . facies, non omnibus una,
Nec diversa tamen, qualem decet esse Sororum.

Hoc autem, sub Pipino in Italia commorante, qui Anno DCCLXXXI. Italiæ Rex à Patre constitutus fuit, procul dubio concinnatum, Muratorius ipse non diffitetur. A Luitprandi obitu ad Pipini Regnum, Anni tantummodo XXXVII. fluxere: potuit iccirco utrumque Rythmum idem Poëta concinuisse, quod & Maffejus *Veron. illuf.* animadvertit. Neque verò, ea me quidquam movent, extrema Veronensis Codicis, unde & *Mediolanensis Rythmus* detractus est carmina, quibus *Adelberti* Episcopi mentionem, ineptus ille Poëta, in hunc modum inseruit:

Habui magistrum Adelbertum Episcopum,
Qui me docuit in suo sancto spiritu,
Et me inunxit in gradum Presbyteri.

Equidem in hoc (det mihi veniam Vir disertissimus), paullo mihi morosior Muratorius fuisse videtur, qui eum, de quo mox Presbyterum, Anno circiter 930. vixisse cùm cognovisset,

... ut nudis pressit qui calcibus anguem,

Confestim substitit, atque hæc in calce Præfationis adjecit: *Num verò eidem tribuenda sint carmina duo, quæ nunc evulgare sta-*

ſtatui, ſcilicet in laudem Mediolani, & Sancti Ambroſii, an potius ipſe eadem carmina, & reliquum Libri tantummodo ſcripſerit, decernere minimè auſim. Profectò ea, quæ ſupra adduximus, omnem demere dubitationem poſſe videntur. Hic mihi, Libri tantummodo Scriptor eſt, qui ducentis ferè annis poſt Auctorem *Mediolanenſis Rythmi* vivebat, quem ideo aut ipſe, pro ſua imperitie, ſeu (quod ſuſpicari malim) pro veteris characteris difficultate, adeò in ſcribendo depravavit, aut ab alio jam ante Librario depravatum, nihilo ipſe felicius, novo Codici conſignavit. Equidem hic, ſi & Libri Scriptor, & Poëmatum Auctor fuiſſet, ea, quæ tam frequentia offendimus, in Mediolanenſe carmen, menda non irrepſiſſent.

Opuſculi igitur veneranda Antiquitas, ei me addictiſſimum fecit, quapropter, & ejus uti teſtimonio cœpi, quo nihil in re veteri luculentius haberem, unde meas, prout res ferret, opinationes confirmarem, & ſtudio quodam pietatis, in tam eluxatum opus, excitari animum meum ſenſi; quocirca illud in nativam, quantum conſequi potuero, faciem, & verſus formam redigere, (in Muratoriana ſiquidem editione tres invicem verſus commiſcentur,) ab intruſis, quæ tam multa ſunt, mendis repurgare, nonnulliſque ubi opus eſſet, animadverſionibus illuſtrare aliquando decrevi. Ego enim, etſi in omnem me vetuſtatem religioſum profiteor, velimque in nativa ſimplicitate, ac barbarie, priſca Auctorum ſcripta exhiberi; tamen ubi illa manifeſtè depravata, aliorum inſcitia eſſe, compertum eſt, aliquam certè ſentio dignam bonis hujuſmodi Viris humanitatem, in nobis exoriri oportere. Impii enim in eos planè fuerimus, niſi eorum deturpata opera, quantùm poteſtas ſubit, repurgantes, hujuſmodi offitio bonum in eos animum teſtificemur. Quod cùm de omnibus dictum à me velim intelligi, tum de Poëtis maximè, in quos ſi aliqua fortè menda irrepſerint, facilius dignoſcuntur, & ad metri regulam multò probabilius caſtigantur. Certè Doctiſs. Maffejus, *ubi ſupra* cùm hunc Rythmum

vidiſſet, corrigendum aliquando eſſe cenſuit, quin ipſe pauca quædam emendavit, de quibus infra in notis occurret mentio. Referat igitur à nobis qualiſcunque is ſit de Mediolano olim bene meritus Scriptor, noſtræ in eum benevolentiæ monumentum; in nos autem humaniter agant Eruditi Viri, quorum judicio ſubmittimus, hanc qualecunque antiquorum carminum caſtigationem, atque illuſtrarionem.

VERO-

VERONENSIS, AC MEDIOLANENSIS
RYTHMI
COLLATIO

Ad firmandam de uno utriusque Auctore conjecturam.

Veronensis Carmina hìc adducimus, qualia Maffejus emendavit.

Ver. *Magna, & præclara pollet Urbs hæc in Italia*
Med. *Alta Urbs, & spatiosa manet in Italia*
Ver. *Quæ Verona vocitatur olim ab antiquitus*
Med. *Quæ ab antiquitus vocatur Mediolanum Civitas*
Ver. *Quadraginta & octo Turres præfulgent per circuitum*
Med. *Celsas habet, opertasque Turres in circuitu*
Ver. *Plateæ miræ sternutæ de sectis lapidibus*
Med. *Omnemque ambitum viarum firme stratum scilice* *
Ver. *O felicem te Verona, sic ditata, & inclita*
Qualibus es circumvallata custodibus sanctissimis
Qui te defendant, ac propugnent ab hoste nequissimo
Med. *O quàm felix, & beata Mediolanum Civitas*
Quæ habere tales Sanctos defensores meruit
Precibus invicta quorum permanet, & fertilis.
Ver. *Jam laudanda non est tibi Urbs in Ausonia*
Splendens pollens, redolens à Sanctorum corpore,
Opulenta inter centum sola in Italia
Med. *Nulla potest reperiri Urbs in hac Provincia*
Ubi tanta requiescunt Sanctorum Cadavera
Electorum revelata, quanta ibi excubant
Ver. *Gloriam canamus Deo Regi invisibili,*
Qui talibus adornavit te floribus mysticis,
In quantis & resplendes, sicut Solis radiis
Med. *Ymnum Regi modulanter cantemus Altissimo,*
Qui eam pulchro decoravit ornamento Martyrum
Sanctorumque Confessorum ibi quiescentium. VER-

* sic infra nos emendamus.

VERSUS
DE MEDIOLANO
UT A MURATORIO EDITI

* mendi fignum & animadverfionis.

Alta Urbs, & fpatiofa manet in Italia, firmiter ædificata opere mirifico, quæ ab antiquitus vocatur Mediolanum Civitas:

Bonam retinet decoris fpeciem, & variis rutilat cultura modis; ornata perfpicuè. Locus ita fructuofus conftat in planicie.

*Celfas habet, opertafque Turres in circuitu, ftudio * nitentes magnas fculturas, & fornifecufque * introrfus decorata magnis Ædificiis.*

*Duodecim enim latitudo * pedibus eft, immenfumque deorfum eft quadrata rupibus, perfectaque eriguntur furfum, & fictilibus.*

Erga murum pretiofas novem habet Januas vinclis ferreis, & claves circumfpectas naviter, ante quas cataractarum fiftunt propugnacula.

*Foris valde fpeciofum habet Ædificium, omnemque ambitum viarum firmè ftratum; * fcilicet * undam capit per ductorem lymphæ quamdam * balaftris. **

---

* Eluxata verba.

* *Que* male adjectum pro *&*, dictionis conjungendæ cauffa.

* Aliquid deeft. Verba carmen non explent. Latitudo illa nulli fubftantivo tribuitur; *Mænium* propterea fupplevimus, de his enim fermo effe videtur.

* Temerè interpunctum.

* *Scilicet* prorfus impertinens. *Silice*, poftpofita interpunctione emendavimus. Nobis in hoc Auctor Maffejus.

* Non fentio quid fignificet. Duo, errore Librarii, in unum verba coaluerunt. Vide notas è regione.

* *Balaftris*. Vox carmini Rythmico finiendo prorfus incongrua.

VER-

VERSUS DE MEDIOLANO
UT A NOBIS CASTIGATI

Asterismus emendationem; adnotationem numer. signat.

ALta Urbs, & spatiosa manet in Italia
Firmiter ædificata opere mirifico,
Quæ ab antiquitus vocatur Mediolanum Civitas.
Bonam retinet decoris speciem, & variis
Rutilat cultura (1) *modis ornata perspicuè.*
Locus ita fructuosus constat in planitie.
Celsas habet, opertasque Turres in circuitu
*Magnas * studio nitentes sculpturas, * & forinsecus*
** Et introrsus decorata magnis Ædificiis*
*Duodecim enim latitu lo mœnium * est pedibus,*
Immensumque deorsum est quadrata rupibus,
Perfectaque eriguntur sursum & fictilibus
Erga (2) *murum pretiosas novem* (3) *habet Januas*
Vinclis ferreis, & claves (4) *circumspectas naviter,*
Ante quas catharactarum sistunt propugnacula.
Foris valde speciosum (5) *habet Ædificium* (6)
Omnemque ambitum viarum firme stratum scilice, *
(7) *Undã capit per ductorẽ lymphæ, quã dat * balustriis.* * (8)

(1) Cultus, seu nitor Urbis. (2) Pro circa.
(3) Sex *Portæ*, ac tres *Pusterle* numerum integrant. (4) Fortè clavibus.
(5) Maffejus *spatiosũ* scripsit. In hoc non videtur à Muratoriano textu discedendũ.
(6) De Arcu Romano sermo est. Ejus præstantiam suo loco descripsimus.
(7) Mihi hoc carmen diu crucem fixit, non enim intelligebam, quid τὸ *quamdam* significaret. Diu multa divinando consectabar: nihil explebat animum. Vidi Maffejum ita emendavisse: *Undam capit per ductorem lymphæ Arcum balustreis.* Sed hæc mihi nimis arbitraria videbatur castigatio. Nam inter has dictiones *quamdam*, & *Arcum* tantum discrimen est, ut nemo alteram pro altera intrusam jure suspiceiur. Qui igitur nos torsit error, sanè ob verbi, aut mutilationem, aut cum alio similitudinem, aut cum sequenti mixtionem, irrepsit. Cogitavi igitur Librarium ex duobus monosyllabis, dissyllabum effecisse, propterea dividendum ita esse: *quam dat*; sic enim error, cunctis præter postremam servatis litteris, & sensus illico prodit.
(8) Ita emendavimus ut carmen flueret, quod in Rythmico carmine requiritur. *Balastris* lentum vocabulum. Balustrium pro loco Balneorum medii ævi Scriptores usurpant. Sanè, quam nos apponimus dictio, metrum una syllaba excedit. Fortè meliùs *balneis*. Sed malim suspicari infelicem Poëtam metri leges parum exactè servavisse, quam verbum cum alio minus quadrans subrogare.

EX MURATORIO.

Gloriose sacris micat ornata Ecclesiis, ex quibus alma est Laurenti, *intus alavanis * lapidibus, auroque tecta, edita in Turribus.*

Hæc est Urbium Regina, mater adque Patriæ, quæ præcipuo vocatur nomine Metropolis, *quam conlaudant universi nationes Seculi.* *

Ingens permanet ipsius dignitas potentiæ, ad quam cuncti venientes Præsules Ausoniæ, juxta normam instruuntur Synodali Canone.

Karitas benigna manet, scilicet in Populo: omnes sedulè ad Dei properant Ecclesiam, devota sua offerentes munera Altaribus.

Læ-

---

* Mendum credo quid enim sint *alavani* isti lapides, quantum Lexicis, aut Glossariis fieri potuit, nunquam sum assecutus. In Glossario quidem recens impresso, *alavanum* videre fas est. Lapis dicitur, & hic ipse nostri carminis locus citatur. Pace tamen sit præstantium Virorum; Nisi aliud me preterea docent, satis fueram eruditus. Planè hic *alavanis lapidibus* lego; de lapidis genere, demens fuerim, si dubitavero. Dignum fuerat eorum eruditione aliquid de hoc lapide paullo altius explorare, quod cùm neque illi attigerint, neque nos sciamus, mendosum fas est locum suspicari.

* Diphtongus neglecta. Quòd archaismum sapit censui corrigendum.

EX NOBIS.

Gloriose sacris micat, ornata Ecclesiis
Ex quibus alma est Laurenti *intus alvaberis* * (1)
Lapidibus, auroque tecta, edita in Turribus (2)
Hæc est Urbium Regina (3) *mater atque Patriæ,*
Quæ præcipuo vocatur nomine Metropolis,
Quam conlaudant universi nationes Sæculi. *
Ingens permanet ipsius dignitas potentiæ
Ad quam cuncti venientes Præsules Ausoniæ (4)
Juxta normam instruuntur Synodali Canone.
Karitas benigna manet, scilicet in Populo:
Omnes sedulè ad Dei properant Ecclesiam,
Devota sua offerentes munera Altaribus.

La-

---

(1) Antiquissima sub Longobardis usque, Laurentianæ Ædis præstantia, quam inter ceteras unam describit Poëta noster, se maximam manifestar. Ex lapidibus, atque auro *tecta*, seu ut nos interpretamur, musivo opere pretiosissimo, & aureis bracteis incrustata. Pro *alavanis* lapidibus, *alvaberis* scripsimus. Fortè exigua inter utramque dictionem dissimilitudo Librarium fefellit. Sunt *alvabera* gemmæ apud *Anast. Biblioth. edit. Rer. Ital. Tom. 3. in Bened. III.* Sic enim habet. *Rete &c. totum ex gemmis alvaberit, & Ballis aureis &c. Alvaviræ* etiam dicuntur apud eundem *in Gregor. IV. = Fecit vestem auro textilem &c. habentem in capite &c. &c., & in circuitu alvaviras &c.* Sunt *Macrio* gemmæ candidissimæ auro inclusæ. Hoc nostræ interpretationi congruit. *Carolo* autem *du Fresne* gemmæ subpurpureæ, sed candicantes. Hæc ipsa pulchritudinem operis auget expositio.

(2) En quàm vetusta quatuor illarum Turrium structura. Hoc ipsum nobis favet, qui supra *cap. 4. num. 7.* Herculeum Fanum Laurentio dicatum, & diu superstes propugnavimus.

(3) Fortè ad eum lapidem *dic homo qui transis &c.* ea tempestate extantem alludit noster.

(4) Metropolitana dignitas Mediolanensis Ecclesiæ hìc celebratur, non ea quidem, qua potiebatur Nostro scribente, multum enim ditionis præsertim ob Gothorum, & Longobardorum imperium ei detractum fuerat; sed quæ priscis temporibus extiterat: nam ex Basilica Petri *de Metrop. Med. n. 8. pag. 17.* Dionysium Mediolanensem Præsulem, Italiæ Metropolitanum, ab Athanasio, Theodoreto, ac Sozomeno, appellatum olim fuisse intelligimus.

Lætantur ibidem, & quiescunt Sancti circa mænia, Victor Nabor, & Maternus, Felix, & Eustorgius, Nazarius, Simplicianus, Celsus, & Valeria.

Magnus Præsul cum duobus sociis Ambrosius Protasio, Gervasioque *manet, &* Dionysius, Calimerusque. *Ibi almus* Benedictus *recubat*.

Nulla potest reperiri Urbs in hac Provincia, ubi tanta requiescunt Sanctorum Cadavera electorum revelata, quanta ibi excubant.

*O quàm felix & beata Mediolanum Civitas, quæ habere tales Sanctos defensores meruit, precibus invicta, * quorum permanet, & fertilis.*

*Pollens ordo Lectionum, Cantilenæ, Organum, modulata Psalmorum, quæ * conlaudantur. Regula, Actusque adimpletur in ea cotidie.*

Quæstu congruè ditantur venientes incolæ; nudi quoque vestiuntur copioso tegmine; pauperes & peregrini satiantur ibidem.

*Rerum cernitur cunctarum inclyta * speciebus, generumque diversorum referta seminibus, vini copia, & carnes adfluenter nimiè.*

Sce-

---

* Relativum suo loco divulsum.

* *Quæ* malè cum dyphtongo scriptum. Puto pro *&*, esse accipiendum.

* Mala transpositio, *Speciebus* ineptum claudendo carmini verbum.

EX NOBIS.

Lætantur (1) *ibidem*, *&* *quiescunt Sancti circa mœnia*, (2)
Victor, Nabor, & Maternus Felix, & Eustorgius
Nazarius, Simplicianus, Celsus, & Valeria
Magnus Præsul cum duobus Sociis Ambrosius
Protasio, Gervasio*que manet*, *&* Dionysius,
Calimerus*que*. *Ibi almus* Benedictus *recubat*.
Nulla potest reperiri Urbs in hac Provincia,
Ubi tanta requiescunt Sanctorum Cadavera
Electorum revelata (3) *quanta ibi excubant*.
O quàm felix, *&* *beata Mediolanum Civitas*,
Quæ habere tales Sanctos defensores meruit,
Quorum * *precibus invicta permanet*, *&* *fertilis*.
(4) *Pollens Ordo Lectionum*, *Cantilenæ*, *Organum*,
Modulata (5) *Psalmorumque* * *conlaudantur* (6). *Regula* (7)
Actusque, *adimpletur in ea cotidie*
Quæstu congruè ditantur venientes incolæ;
Nudi quoque vestiuntur copioso tegmine;
Pauperes, *&* *peregrini satiantur ibidem*
Rerum cernitur cunctarum speciebus * *inclyta*
Generumque diversorum referta seminibus,
Vini copia, *&* *carnes adfluenter nimiè*.

Sce-

(1) Lætari pro celebrari esse suspicor. Lætania; seu Litania, celebritas D. Gregorio videtur esse, *epist. lib. 4. cap. 54.* ad Episcopum Ravennatem. *In Lætaniis solemnibus*, *idest die natalitio Beati Jo. Baptistæ*, *&* *Beati Petri Apostoli &c.* Hæ certè solemnitates sunt. Macrius. *Lætania à verbo Lætor derivatur*: saltem (addimus nos) in aliqua usurpatione.
(2) Hic ipse locus ad ambitum Urbis describendum conducit. Horum enim SS. Corpora circa, seu extra mœnia fuisse docer.
(3) Revelata Ambrosio Nazarii, Celsique primum, deinde Gervasii, ac Prothasii Martyrum Corpora hic innuuntur.
(4) Sacros Officiorum ritus persequitur.
(5) *Modulum* barbari Scriptores, pro cantu, & modulatione dixerunt. Nosterà *modulatum* pro eodem sibi dolavit.
(6) Simul cantantur; seu alternatim, & cum aliis.
(7) Ritus juxta Regulas peragitur,

Sceptrum inde Langobardi principalem optinet Liutprandum *pium Regem, meritis almificum, cui tantam Sanctitatis Christus dedit gratiam.*

Totam Urbem Præsul magnus ornavit Theodosius *, *veniens benignè, natus de Regali germine, quem ad sedem raptum trahens * pro amore Populus.*

Viribus robusti Cives, adstantium certamine nefandarum subdent colla expugnando gentium, palmam possident, & nomen

quam

---

* Nullus in cuncta Mediolanensium Antistitum serie Theodosius extitit. Certè Librarius *Theodosium* pro *Theodorio* descripsit. Theodorus, revera sub Liutprando, Rei Sacræ Mediolanensi præfuit.

* Verbum aliquod sententia postulat, à quo sustentetur; secus hiat. Fortè *traxit*, aut *rapuit*.

EX NOBIS.

(1) *Sceptrum inde Langobardi Principalem obtinet*
   Liutprandum *pium Regem, meritis almificum,*
   Cui tantam Sanctitatis (2) *Christus dedit gratiam.*
Totam Urbem Præsul magnus ornavit Theodorius *
   Veniens benignè, natus de Regali germine
   (3) *Quem ad sedem rapuit * trahens pro amore Populus.*
Viribus robusti Cives, adstantium certamine (4)
   Nefandarum subdent colla expugnando gentium,

Pal-

---

(1) In hoc carmen ita Muratorius. *Parum castigata verba nemo non videt, quorum tamen hic est sensus: Inde Luitprandus pius Rex, obtinet sceptrum Longobardorum Principale*. Ego verò nihil hoc loco castigandum puto. Sic enim interpretor: *Sceptrum Langobardi*, seu Regnum Longobardicum *obtinet*, haber, ac tenet *Luitprandum Principalem*, idest Principem *pium Regem* &c. Judicium peto Viri Eruditissimi.

(2) Sanctitatem, seu pietatem ejus Noster amplificat. Se ipsum revera Liutprandus *In Proœm. nov. legg.* excellentissimum *Christianum*, & *Catholicum* appellavit. Multa pietatis monumenta esse possunt crebræ ab eodem erectæ Basilicæ, Monasteria constituta, locupletata Sacerdotia, teste Paullo Diacono, *lib.* 4. *cap.* 58. Idem confirmat redemptum ab eo, ac magnificè collocatum D. Augustini Corpus. Sanè in ejus Epitaphio Ticini extante, magna Religionis illius commendatio. Occupavit ille quidem Rom. Ecclesiæ aliquando ditionem, quin Romam obsedit; verùm rebus compositis, teste *Sigon. sub Ann.* 729. munera obtulit ante Aram D. Petri luculentissima.

(3) Peculiaris hæc de B. Theodoro notitia, & quam hucusque nemo eorum, qui Mediolanensium Episcoporum vitas scripsere, (quantum ego lectitaverim) de illo prodiderit. Est igitur Theodorus, Episcopatus fuga inter ceteras virtutes summe Spectabilis, quem vi Populus in sedem traxerit, & collocaverit.

(4) Torquet me, neque leviter locus iste. Videtur bellum aliquod indicare Civibus impendens ea tempestate. Quod autem? Prorsus Historiæ silent. Cuperem, ut alius me doctior, exploraret. Si juvat rem conjecturis exponere, fortassis Poëta, hæc ad bellum retulit adversùs Saracenos, quos *nefandarum gentium* nomine appellat. Luitprandus enim Carolo Martello, Saracenorum copiis in Provincia, quam universam teste Paulo Diac. populabantur, petito, opem tulit, atque illuc, Anno 739. juxta Pagium, exercitum feliciter applicuit, metuentibus ejus adventum *nefariis* hostibus, & illico aufugientibus. Profecto si hoc bellum innuit, multò distinctius assequimur tempus ipsum, quo Rythmus conscriptus est, videlicet circa præfatum Annum 739., cùm in Galliam ea fieret expeditio, cujus caussa Liutprandus fortè Mediolanensium Civium delectum aliquem admoverat, quibus certam de hostibus in Gallia ipsis *adstantibus* victoriam ominatur.

*quam * fidei amplissimum.*

Christum Dominum precemur universi pariter, ut dignetur custodire hanc Urbem, & regere, atque cunctis liberare ipsam de periculis.

Ymnum Regi modulanter cantemus Altissimo, qui eam pulcro decoravit ornamento Martyrum, Sanctorumque Confessorum ibi quiescentium.

Zelemus omnes Christiani Salvatorem Dominum, ut in illam nos permittat Civitatem ingredi, in qua Sancti per æterna gratulantur secula.

Gloria sit Deo Patri, ejusque Unigenito, gloriam canamus omnes Spiritui Paraclito, qui Trinus Deus, & Unus regnat in perpetuo.

---

* *Quam*, particulam ad augendum, mendosè à τῷ *amplissimum* distractam opinor.

AD DISSERTATIONEM
ADDITAMENTA.

AD CAPITIS I. N. XX.

PORtam Novam fortaſſis non multum procul ab eo, in quo Præclariſſimi Viri Marchionis Georgii Olivatii Magni in hac ditione Cancellarii, recentes Ædes excitatæ ſunt loco, extitiſſe ſuſpicor; ibidem enim accipio ab Illuſtriſſimo ejus Filio D. Bartholomæo in Palatinis Gymnaſiis Græcæ linguæ Profeſſore, cum anno 1729. elegantis illius ædificii fundamenta jacerentur, repertas quaſdam immanes ſubſtructiones, quas equidem priſcorum mœnium fuiſſe nonnulli opinati ſunt. Cui ſuffragari videtur certiſſimum aliud, non procul inde, eorundem veſtigium in cellis ſubterraneis apud Eccleſiam S. Domnini vulgo *alla Mazza* adhuc ſuperſtes, imo omnibus conſpicuum, & ſatis eminens, ubi ad ejuſdem Eccleſiæ uſum Turricula Campanarum viſitur: hæc enim ingenti cuidam vetuſtiſſimo muro, ſcalpro intus cavato, qui decem circiter è ſolo cubitis ſurgit, tota eſt impoſita, ut unà cum ſupralaudato D. Abbate Bartholomæo Olivatio, cui iſtam referimus notitiam, nos ipſi conſpicati fuimus.

AD CAPITIS VII. N. IV.

IDem & alio lapide confirmari poteſt, quem ſequenti Appendice *num.* 20. *pag.* 169. ex Valerii expoſitione protulimus.

AD

AD CAPITIS X. N. II.

Circum ego veteri murorum ambitu inclusum affirmo adversus Boscam, qui illum sibi extra mœnia fuisse persuasit *Decad.* 4. *Histor. Mediol. Eccl. lib.* 2. *pag.* 78. ita disserens: *An vero Circus suburbanus fuerit, an intra Urbem, si rogas, ego extra mœnia fuisse crediderim, tum propter veterem ambitum murorum, qui Circum excludit, tum propter Pauli Diaconi, & Castilionæi testimonium. Narrat Alualdum* (Paulus scilicet Diaconus *lib.* 4. *Hist. Longob. cap.* 31. *edit Mediolan. in corp. Rer. Ital.*) *Agilulphi filium coram Patre suo creatum fuisse Regem Longobardorum, APUD MEDIOLANUM, in Circo; inde Hyppodromum suburbanum fuisse conjicimus etiam propter spatia ampliora decursionum equestrium*. Verum prima ratio corruit ex iis limitibus, quos initio *cap.* 1., ut equidem reor, non temere priscæ Urbi constituimus. Neque magis Pauli Diaconi textus quidquam evincit. Verba enim *APUD MEDIOLANUM in Circo*, idem significant ac *Mediolani*. Eruditos testor. Nam *apud* pro *in* à purgatis etiam Scriptoribus usurpatur. Illi autem Scriptori alibi est familiare. *Lib.* 3. *cap.* 14. ita habet: *Mortuo vero apud Aquilejam Patriarcha Probino, qui Ecclesiam unum rexerat annum eidem Ecclesiæ Sacerdos Elias præficitur*. Eodem libro *cap.* 22. *Childebertus existimans suam adhuc Germanam apud Constantinopolim vivere &c.* Libro 4. *cap.* 30. de D. Gregorio loquens: *Scribens pro hac re epistolam Sabiniano suo apocrisario, qui erat apud Constantinopolim &c.* Hæc certè, non aliquam iis Urbibus proximitatem, sed in iisdem existentiam significant, præpositione illa *apud* minime contradicente. Quapropter locus ille non officit, quin pro nobis stat magis. Accedit eam Turrim, quam sub capite *de Theatro*, tanquam incerti Ædificii vestigium proposuimus, fortassis aliquam Circi partem videri posse consideranti formam Romani Circi, quam Panvinus habet *De Lud. Circ.* Poterit enim videri una ex iis tur-

turribus, quas ipse ad utrumque Circi latus delineavit; quarum superiori in parte Mæniana, seu Podia collocavit, in inferiori autem ingentia quædam ostia arcuata descripsit, ad quæ sane Arcus ille geminis utrinque columnis sustentatus, qualis ille sub quadrata ea turri à nobis apposita refertur, multum accedit. Atque hæc quidem turris, interior est veteri Mediolanensium murorum ambitu; siquidem rotunda turris, quam pro certissimo mœnium ipsorum vestigio *cap.* 2. retulimus in eodem Majori Monasterio superstes, Franciscani Cœnobii plagam respicit, atque ab ea non multum distat; Hæc autem quadrata, de qua agimus, post interioris Monialium Ecclesiæ Odæum directe surgit; quæ sane a Franciscana illa regione olim suburbana magis dissita est, & per rotundam illam, seu per veterem ambitum Urbis à suburbana parte discreta.

AD DISSERTATIONEM
EMENDATIONES.

AD CAP. IV. N. XII.

THeatri quidem extitisse in Monasterio Majori vestigium aliquod arbitrabamur, idque esse quadratum Turrim sub eo capite delineatam, antequam septa Monasterii illius ingredi, nobis Majorum facultate concederetur. Verum postea re oculis explorata, Circi magis, quam Theatri, aut veteris cujuspiam Templi vestigium ibidem superesse cognovimus.

Pag. 30. lin. 26.	Romani	Romanos.
Pag. 32. lin. 2.	æquarat	æquaret

Pag.

Pag. 85. lin. 25.	quadrifontem	quadrifrontem
Pag. 87. lin. 26.	Eschillus	Eschilus
Pag. 119. lin. 1.	Aquæductis	Aquæductibus
Pag. 124. lin. 8.	supereft	superesset

Ea quæ sequitur Appendice jam typis impressa hoc ad num. XIV. addere non incongruum visum est in calce inserendum.

Laribus etiam, qui iidem cum Manibus esse censentur, Porcum immolari consuevisse, quorum beneficio ab insania Prisci liberarentur, animadvertit Torrentius in illa Horatii carmina *Sermon. lib.* 2. *Sat.* 3.

Non est perjurus, neque sordidus; immolet æquis
Hic PORCUM Laribus.

Manes enim cum infesti essent, vel sceleribus offensi, terrorem, atque insaniam immittere putabantur, cultu ob hoc ipsum, & sacrificio placandi. Fortassis Mercurio, qui summam in *Manes*, seu *Lares* exerceret potestatem, ut ex superioribus dictum est, Porcus immolatus, quo placati *Manes*, ipsius accedente imperio reprimerentur. Lapis adhuc extat, ut nuper intelleximus ex litteris, per quas notitiam de illo exquiri curavimus, estque ibidem in pariete Ædium *Parochialium* insertus.